





80zy.

HISTORIA IVRIS CIVILIS

1764, 30.

DE

# DIVORTIIS

AVCTORITATE

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

PRO SVMMIS

IN VTRQVE IVRE HONORIBVS

OBTINENDIS

AD DEFENDENDVM

A. D. XX. SEPTEMBR. cIo Io CCLXIV.

PROPOSITA

A

GEORGIO AVGUSTO MARCHE

LIPSIENSE.

---

LIPSIAE

EX OFFICINA LOEPERIA.

HISTORIÆ IURÆ CIVITATIS  
DEI VORTIS

AVATDITATATE  
HISTORIÆ IURÆ CIVITATIS  
PRO SAVINIA  
HISTORIÆ IURÆ HONORIÆ

A DE XX SEPTEMBER - ANNO MDCCLXIX

GEORGIO AUGUSTO MARCII

EDITIONE SECONDA

# HISTORIA IURIS CIVILIS DE DIVORTIIS.

§. 1.  
*Instituti ratio.*



Optima alicuius disciplinae pertractandae ratio ea mihi semper visa est, quae non solum singula capita accurate traderet, sed simul etiam ad ultimas eius origines et causas rediret, mutationes doceret, atque ita discentis animum ad intelligendam praesentem rerum formam praepararet. Quapropter a primo illo die, quo ad Iurisprudentiae cognitionem animum meum contuli, me non contentum esse iis definitionibus atque divisionibus, quae in enarrandis singulis iuris capitibus in scholis a doctoribus tradantur, sed historiae adiumento, fine cuius ope nulla absoluta atque perfecta disciplinae alicuius scientia cogitari potest, ad prima cuiusvis rei initia descendere, diuersaque, pro temporum et morum diuersitate, rationes plenius cognoscere debere existimau: cuius quidem consilio me nuncquam poenituit. Habet enim antiquarum rerum cognitionem suavitatis commendationem, in iuris autem novi dispositionibus plenius perspicendi egregiae utilitatis fructum. Iam igitur cum ex more huius academie pro obtinendis summis in utroque iure honoribus libellum ad disceptandum preponere deberem, locum aliquem iuris civilis ea ratione, quam et ipse optimam iudicarem, et doctorum virorum suffragiis \*) comprobata viderem, enarrare constitui. Delatus sum in eum, qui est de divortiis, ad quemque plurima in aduersariis, quae inter legendum semper ad manus habere, et in quae, si quid notatu dignum occurrat, coniucere, et ad futurum visum seruare soleo, prescripta in-

A 2

venie-

\*) vid. III. Hommelii Litter. Iur. p. 54. sq.

ueniebam. In vniuerso autem hoc capite pertractando, habita temporum ratione ita verbabor, vt praemissa breui de iure naturae atque diuortii vocabulo disputatione, primum diuortiorum origines ex lege Romuli repetam, deinde eorum historiam liberae reipublicae temporibus subiiciam, denique Iuliarum legum dispositio-nes exponam, reliqua autem in commodius tempus seruem. Quanquam autem non ea mea sit temeritas aut arrogantia, vt existimem, me in hoc libello multa noua, anteaque plane inaudita, et ex intimo iurisprudentiae sacrario protracta, quis enim haec a iuuenie expectet, in medium esse prolatarum, tamen me et utilitatis et delectationis rationem habere posse arbitror. Quid enim in iure interpretando potest esse utilius, quam ad primos redire fontes, quam primas rerum inquirere causas, quam temporum inter se comparare mores, qui legibus legumque mutationibus scripere necessitatem, quam progredi denique ad ea tempora, quae nobis earum, quibus iam utimur, legum concesserunt felicitatem. Non ignoro, hanc rationem multis impediti difficultatibus, sunt enim antiqua multa plerumque obfcuritas caligine testa atque offusa, sed eo vberiore diligentiae laudem propositam puto, si cum aliqua felicitate in hac re versari contigerit, sin minus, non excusatonis praefidium apud aequos aestimatores defuturum confido. Non autem animus est, ea omnia, quae ad hanc diuortiorum historiam aliquo modo pertineant, exponere, id enim academici libelli angustia non caperet, sed ea tantum, quae speciminis loco sufficere possint, disputare.

## §. 2.

*Diuortia iure naturae permitta esse, docetur. Keyseri atque Langii ea de re controversia commemoratur.*

Iuris diuortiorum primas origines non ex antiquissimis Graecorum legibus, aut Romanorum XII. tabulis, sed ex ea lege, quae diuina est, perpetua, et constans, quamque ipsa natura magistra omnes gentes docuit, quaeque et Athenis et Romae et apud barbaros populos eadem seruatur, quae vbique semper valuit et valebit, et cui per humanarum rerum ordinem nulla alia lege derogari quidquam potest, repetandas atque illustrandas esse, arbitror. Est autem

autem haec lex nulla alia, quam ipsius naturae vox, atque ipsa recta ratio, quae nihil nisi verae humanae utilitatis felicitatisque causa constituit, quae propositis praemiis ad virtutem alicit, et improbos iustas poenas effugere non sinit, quae homines publicae priuataeque securitatis, commoditatis atque utilitatis causa in ciuitates et societates coire, pastra inire, matrimonia denique firma stabiliaque iungere docuit. Ex hac igitur lege ipsa diuortiorum iustitia est aestimanda, propterea, quod et reliquis legibus omnibus est sapientior, et ab ea omnes, tanquam communi parente, quae deinceps apud gentes introductae, profectae sunt leges. Sed possitne ex ea diuertia defendi, difficilior quaestio est, in qua diuicanda diligenter est circumspicendum, ne leuitati alicui, ad quam hominum, ut sunt, nimis proclivia ingenia, quicquam indulgeamus, sed ut omnibus, quae ad hanc rem recte constituant aliquo modo vel pertinere vel prodesse possint, sapienter consideratis, pronunciemus illud, quod ipsius naturae suffragio comprobatum appareat. Frequens est et numeroſa DD. familia, qui in eam abeant sententiam, ut diuertia iure naturae permitta negent: quanquam autem mihi non illud sit ingenium, ut alicui in uito vel suam eripere, vel meam obtrudere velim sententiam: qui potius existimem in hac, si in qua alia disciplina cuique summam libere sentiendi et dicendi facultatem recte et tuto concedi posse, quippe quae in scholis Philosophorum maiorem, quam in humana vita habeat utilitatem, et magis ita sit comparata, ut ad disputandum subtiliter et cum probabilitatis specie ingenia acutat, quam ut hominum, qui ex scriptis diuinis aeque ac humanis legibus vivere possunt, rationes dirigat: tamen quare horum sententiam non probem, copiosius rationem reddere constitui, ne temere aliquid ponere videar; atque hoc modo ne quicquam a confilio alienum, vel inutile facturum non arbitror. Summum pro diuortiorum iustitia idque firmissimum argumentum in ipsa matrimonii natura, ut arbitror, possum est. Constat autem inter omnes, matrimonium eam maris et foeminae esse coniunctionem, cuius supralex in fidei coniugalis conseruatione cernatur. Ex qua re facile intelligitur, illud sua natura neque plane temporarium, neque plane perpetuum esse, sed utrumque ex aliis rationibus, pacti in primis connubialis conditione atque natura esse diuidicandum,

adeo, ut matrimonii quoque dissolutio, naturalis iustitiae ratione recte considerata, neque prohibita, neque imperata videatur. Iam si ex verbis pacti conubialis res est decernenda, num perpetui vinculi in iis mentio facta sit, videndum est. Si nulla, aliae adhibendae rationes. Sin conuenit, ut ad certum tantum tempus matrimonium constaret, v. c. donec mulier partum ediderit, finito illo tempore ipsum matrimonium finitum appareret: qualia olim matrimonia Belgae in Iaponia contraxisse dicuntur, soluenda ubi in patriam discesserint. Sin placuit, in perpetuum hanc vitae consuetudinem inire, matrimonium propter hanc nominatim additam dispositionem amplius solui non potest, nisi ipsorum pactorum natura alia omnia suadeat. Constat autem, omnium pactorum obligationem dupli modo dirimi, vel utriusque partis in dissolutiōnē consensu, vel alterius partis, nonstantis legibus pacti, culpa: igitur pacti matrimonialis vinculum dupli modo solui posse, quis non videat? Etenim cum nulla urgente necessitate, bona gratia et utriusque partis consensu matrimonii vinculum sit colligatum, quare non illud quoque, eadem ratione, fine vita interueniente ira, bona gratia, atque utriusque consensu possit disoluī, non video? Certe si utriusque consensus matrimonium, quare non etiam divortium faciat? Vnius tamen voluntas propterea sufficere non potest, quod uterque coniux in alterius corpore ius quaeſitum habet, quod inuitu eripi non potest; nisi alia accedat ratio, quae in eo versatur, si alter coniux pacti matrimonialis legibus non steterit. Hac autem leges conseruatione praecipue fideli coniugalis et liberorum procreatione continentur: earum laetio alterius coniugis obligationem tollit, liberamque discedendi facultatem concedit: nec quicquam interesse videtur, quomodo haec fides laesa reperiatur, siue adulterio, siue malitiosa desertione, siue alio eiusmodi graviori scelere, prioribus simili. Non video profecto, quare hoc loco non seruari possit pactorum ratio, cum matrimonium in reliquis eorum naturam recipiat? Societas vicinorum solutum dicitur, quando socius societas non seruat pacta, neque alteri socio ulterior societas iniungi potest. Num cum matrimonio aliter se res habet? Apparet igitur ex his, eam solam partem, quae pactum non seruauerit, quaeque fidem laeserit coniugalem, contra naturae leges pecare,

care, non innocentem, quae nocentem diuortio a se repellat, confortiumque vitae cum ea tollat, quae prior aeternam fidei coniugalis societatisque connubialis sponsonem infregerit. Non leuior mihi matrimonii dissoluendi cauſa videtur ea, si confilium, cuius causa initum matrimonium sperari non potest. Liberorum felicit procreatio prima matrimonii lex esse debet: igitur si nulla speranda proles, recte matrimonium, quod exitu caret, dissolui posse arbitror. Neque in eo quicquam contrarium naturae legibus intuenio, modo iusta adhibeat cautio. Ipsa autem diuortiorum ratio, quanquam nihil in se habeat, quod cum aeternis naturae legibus non optime conueniat, tamen illud a me impetrare non possum, ut existimem, frequentem eorum usum reipublicae conducere: nimia enim eorum libertas et leuitatis habet reprehensionem, et ciuitatis familiarumque splendori obeft. Cum moderatione igitur adhibenda medicina, ne in veneni degeneret naturam. Cum autem reciproca et mutua sit coniugum obligatio, aequalia quoque iis iura tribuenda. Si marito licet vxori repudium mittere, idem ius vxori denegandum non erit. Vterque ad pacta connubialia seruanda obligatur, utriusque in alterius coniugis corpore ius quaeſitum est, utriusque ius suum persequi permisum. Quod enim affirmant, maiorem foeminarum quam virorum esse debere castitatem, id quidem verum est, si ciuitatis species utilitatem, cuius interest, certam prolem esse; si vero obligationem, quae virum uxoremque intercedit, nunquam exinde poteris maiorem viris licentiam, eamque pacto connubiali contrarian, largiri, quum eadem fides, eadem castitas, idem amor ab marito atque vxore praefstandus sit. Male profecto ii faciunt, qui in hoc loco mulierum leuitatem, intemperantiam, libidines, amores, perfidiam accusant, et propterea omnem iis libertatem eripiendam aequaliaque cum viris iura neganda centent. Quanquam enim non ita elegans videri velim, ut eam suscipiam defensionem, neque ita stultus, ut ignorem, haec iis vitia inesse, tamen, quod verum videatur, dicere, animus est. Si viris eadem vitia inhaerent, (quis autem hoc neget, quum nos vitii aequae ac virtutibus debiliorem secum longe superemus,) quodsi, inquam, viris eadem vitia inhaerent, eadem quoque his morbis adhibenda remedia, eandem dandam esse medicinam appetet. Vindicemus igitur hocce ius mulieribus, quod iis non sine iniuria eripi potest. Atque ita omnis haec res conſer-  
vata

Etia est. Ex iuris naturalis primis lineis matrimonii vinculum solui non posse, colligi non potest; sed quicquid de eo disputant DD. id omne iuri canonico acceptum ferunt. Agitata olim est haec quaestio cum magno clamore inter Keyserum et Langium, Theologum Halensem, quorum scripta iunctim edita extant. Existimauit Langius, se causam suam optime orare, si omnium suorum argumentorum vim ex prima diuina matrimonii institutione dederet. Verum cum tota haec disputatio ad ius naturae paradisacum pertineat, cuius cognitionem quidem cum primo protoplastorum peccato amissimus, inanis nobis propterea videri debet, quod spacio sum quidem ingenio ad luxuriandum aperiat campum, sed nullum vnum praestare possit inter homines, quales post amissam integratem reperiuntur. Deinde hanc primam matrimonii institutionem legis vim non habere, ex eo discitur, quod ipse Deus per Moysem, librorum que diuinorum optimus interpres Christus diuotiorum usum permitterint. Atque in eo excellens positum est pro diuortiis, ea juri naturali non aduerfari, argumentum; id enim contra naturae leges esse non potest, quod diuinis scriptis legibus est permisum, .cum utriusque vnius idemque autor sit, in quem nulla antinomiae suspicio cadere potest, et utrumque ius diuinam habeat originem. Iam Ill. Thomasius in Inst. Iur. Diu. ex matrimonii illa prima et diuina institutione, argumentum nullum contra diuortia duci, neque illi legis vim atque efficaciam tribui posse, monuit. Si enim hanc primam institutionem pro lege habere velimus, *omnes quoque aliae*, inquit, *circumstantiae per modum legis effent obseruandae*, *quae in primaeua afferunt institutione, v. c. quod protoplasti nudi fuerint, quod institutio facta sit sub dio, a Deo ipso, sine sacerdotis interuentu, sine pacto matrimoniali, sine consensu et praesentia parentum et agnitorum, rel.* Haec iocose Thomasius, vt plur. Sed iam satis de hac re. In vniuersum hoc mihi tenendum videtur, turpiter errare, qui iuris naturalis principia ex diuinis scriptis legibus repeatant, et Scholasticorum Philosophorum more omnia misceant. Facilis quidem haec ratio, sed propterea non probanda, quod sius cuique locus debet esse separatus. Hocce diuotiorum institutum plerasque gentes a primis inde temporibus suis accommodasse moribus, ex historicorum libris constat, quorum auctoritates laudare iam nostrum non est. Fecit nobis huius rei otium Ill. Puffendorfius. in Iur. Natur. L. VI. c. 1. §. 20. fqq.

sqq. vbi egregie, vt semper, hunc locum tractauit, vt plane appareat, illud iuris quoque gentium esse, quod iuri naturali vindicauimus,

## §. 3.

*Diuortium quid sit, explicatur.*

Iam primo omnium loco, antequam ad ipsorum diuortiorum historiam enarrandam accedamus, de iusta atque legitima diuortii definitione eo magis nobis elaborandum esse videtur, ne vaga atque inconstans incerta nostra erret oratio, quo magis scimus, ea facilius pro diuortii accipi, quae re vera talia non sint, sed aliqua tantum similitudinis affinitate cum iis iuncta reperiuntur. Etiam si enim non ignoremus, maiorem esse debere ipsarum rerum quam verborum curam, tamen ne horum quidem diligentiam negligendam existimamus, aut contemnendam, propterea, quod ipsarum rerum sunt signa, quae certa esse debent, et firmam constanterque vim habere, et sine quibus nulla potest esse accurata rerum cognitio. Reute igitur ipsius argumenti tractationi breuis de diuortii definitione praemittitur disputatione, neque vila aut inutilitatis aut ineptiae timenda est reprehensio. Est autem diuortium modus matrimonii dissoluendi, quales Quintilianus duos, mortem et diuortium, Paulus autem in l. 1. D. de Diuortiis, quatuor, addita captiuitate et seruitute, quos morti annumerasse Quintilianus videtur, commemorant. Num recte Paulus captiuitatem atque seruitutem, cui etiam deportatio adiungi potest, inter modos dissoluendi matrimonii retulerit, de eo alio tempore copiosus dicendi locus erit: morte autem, quae omnia soluit, etiam matrimonii vinculum perimi, extra omnem dissolutionis aleam possum est. Fuerunt tamen Iuris Canonici conditores, qui eiusmodi matrimonii vinculo tribuerent firmitatem, quae plane esset aeterna, nullamque reciperet solutionem, atque etiam morte tolli non posset, atque ex hoc arguento etiam secundas post mortem alterius coniugis nuptias tanquam iniustas prohiberent; quorum opinio quam falsa etvana sit, et res ipsa docet, et Theod. Beza in tractatu de Polygamia et Repudiis eleganter disputauit: Ipsum autem diuortium est matrimonii ex iusta causa inter viuos perpetua dissolutio. Ex quo statim apparet, hoc vocabulo non satis subtiliter ut eos ICtos, qui et morte et captiuitate et seruitute di-

uortium fieri dicant, sed latiorem significatum ei tribuere, et pro omni matrimonii dissoluendi modo accipere: cum tamen ipsum diuortium inter modos matrimonium soluendi reliquos recte numeretur. Quemadmodum autem ipsius matrimonii natura in perpetua et indiuidua vita confuetudine inest, ita etiam diuortium in perpetua dissolutione. Atque in eo differt a fribusculo vel frigusculo, quod in L. 32. §. 12. D. de donation. inter vir. et vxor. occurrit, et eiusmodi indicat discessiōnem, quae quidem irato animo fiat, sed non in perpetuum diuertendi consilio. Ita enim Isidorus explicat: *fribolum est*, inquit, *cum eo animo separantur, ut rursus ad se invicem reuertantur.* Nam fribolum est, quasi quassae mentis et effluxae, nec stabilis. vid. Ducker de Latinit. Vet. ICtor. p. 403. Eodem quoque modo se res habet cum separatione a thoro et mensa, quippe quae etiam perpetua esse non solet, et cuius, quod accedit, hoc loco vix mentio facienda, quod non Romani, sed Canonici iuris inuentum est. Deinde etiam, si sequi debet verum diuortium, ut verum antecesserit matrimonium, necesse est. Quacunque enim de causa si inuidum, atque illegitimum est, ut diuortio dissoluatur, opus non est, cum iam legibus sit nullum, neque pro matrimonio possit reputari, neque liberi, ex eo procreati, in patria sint potestatae, neque coniuges intelligantur, neque sibi tanquam vir et vxor succedant. Ulpianus Fragm. XVI. §. 2. Sed cum vinculum eiusmodi, quod ex tali matrimonio oriatur, omnino sit naturale, nec ciuillem producat effectum, ciuil modo, cum adesse plane non intelligatur, solui non poterit. Denique etiam de voluntate eius, qui diuortium facit, constare debet; eius enim certa declaratio non magis in contrahendo, quam in dirimendo coniugio requiritur: quae de causa quocunque iracundiae calore factum vel dictum est, factum dictumne non videtur, nisi perseverantia, animi iudicium suffice probet. arg. L. 3 et 7. D. de diuort. Iam ne diuortiorum nimia esset frequentia, atque exinde aliiquid detrimenti caperet res publica, leges prospicerunt atque certis tantum iustisque de causis diuortium facere permiserunt: fin contra factum, nihil actum videri, atque matrimonium adhuc constare voluerunt. L. 43. D. ad L. Iul. de adult. Has autem iposas causas infra suo loco commemorabimus. Diuortium ICto in L. 2. D. de diuort. ita dictum videtur, vel a diuersitate mentium, vel quoniam in diuersas, qui distrahit matrimonium,

pium,

nium, partes eunt. Est haec originatio ex eo genere, quo veteres  
Icti sibi egregie placebant, et plus sensui, quam Grammaticorum re-  
gulis accommodata est. Scipio Gentilis in Originibus p. 236. ab  
aquarum diuortio ex uno iugo decurrentium hoc vocabulum transla-  
tum existimat, eiusque sententiae autorem Ciceronem facit: an re-  
cte noluit iudicare, qui eiusmodi locum apud Ciceronem inuenire  
non potuit, Monagius in Amoenitatibus Iuris p. 239. verum exi-  
stimo, respexisse forte Scipionem ad eum locum Ciceronis, qui est in  
de Orat. L. III. c. 40. vbi: *si res, inquit, suum nomen et proprium  
vocabulum non habet, — ut in uxore diuortium, necessitas cogit, quod  
non habeas, aliunde sumere.* Cf. Cl. Salmasius de Usuris p. 207. Mi-  
hi tamen haec Scipionis deriuatio, si licet dicere, quod sentio, non  
placet, veriorque videtur alia, quam Isidorus L. IX. Etymolog. c.  
VIII. profert; putat scilicet diuortii vocabulum a viarum flexu trans-  
fumtum esse, vt sit via in diuersa tendens; quae origo etiam loco  
Virgilii Aen. IX. v. 379. illustrari potest. Iureconsulti Veteres, vt  
sunt diserti, copiaque verborum florentes, pro diuortio etiam *disce-  
ptionem* dicunt, et *discidium*, quod proprie de parietibus dici auctor  
est Gronouius in Add. ad Liuii L. XXV. c. 18. et *repudium*, quan-  
quam accurate loquentibus quaedam differentia inter diuortium et  
repudium intercedat, quam etiam inscriptio tituli digestorum de di-  
uortiis et repudiis indicare videtur. Diuortium enim matrimonii,  
repudium sponsaliorum dissolutionem denotat, *diuortium inter virum  
et uxorem fieri dicitur, repudium vero sponsa mitti videtur.* L. 101. D.  
de V. S. et in L. 191. non recte *sponsa diuortisse* dicitur. Quaesita  
proprie non repudianus L. 1. §. 2. D. de successi. edict. sed ea tan-  
tum, ad quae consequenda nobis ius est, v. c. haereditatem. cf. Al-  
beric. Gentil. in Comment. ad L. 191. D. de V. S. Verum subtilis  
haec differentia neque a Ictis, neque aliis bonis latinis autoribus  
obseruatur, sed repudii vocabulum tam late patere reperitur, vt di-  
uortii significationem simul comprehendat. Exempla habes in L. 3.  
D. de diuort. L. 29. §. 1. D. de probat. vbi *mulier grauida repudiata* oc-  
currat, L. 29. D. de manumiss. testim. Nov. 117. c. 8. §. 7. Sueton.  
in Tiber. c. 11. quamvis non facile in contrarium inuenias exem-  
plum, vbi diuortii vocabulum pro repudio possum fit. In alia omnia  
abit Isidorus, qui loco laudato nouam distinctionem profert: *repu-  
dium est, inquit, quod sub testimonium testim. vel praesenti vel absenti  
mitti-*

*mittitur: diuortium, quotiescumque dissoluto matrimonio, alter eorum alteras nuptias sequitur.* Quam distinguendi rationem et vanam et ab omni loquendi vsu alienam, omnique auctoritate destitutam esse, quis est, qui non videat? Sed sufficient haec nobis ad rem iam ipsam properantibus.

## §. 4.

*Historia diuortiorum sub Romulo.*

In enarranda hac diuortiorum historia non ultra Romuli tempora adscendere propterea nobis visum est, quod tanta superiorum temporum memoria antiquitatis atque obscuritatis caligine tecta est, vt, quid in ea verum falsumque sit, vix ac ne vix quidem discernere possumus. Atque ne haec quidem tempora satis clara et a fabulis pura sunt, ita, vt plerumque coniecturis assequi debeamus ea, quae alias plane ignorare necesse est. Illud tamen certissimum est, fuisse Romulum primum, cui res Romana veras suas deberet origines, fuisse in eo summam in condenda noua republica felicitatem, in ea defendenda virtutem, in eaque legibus ornanda prudentiam, adeo, vt natura in eum omnia contulisse videretur, quae in nouae urbis conditore spectarentur maxima: optimis etiam eius institutis factum esse, vt res Romana, ex tam paruis orta initis, ad tantam deinde perueniret fortunam, eiusque virtuti et sapientiae ea deberi fundamenta, quibus tanta deinde imperii moles superstrui potuerit: tot denique et tanta summa virtutis, iustitiae atque continentiae, quae postea in Romana extitere republica, exempla, certissimos diuinorum primi regis institutorum fructus fuisse. Tam sapientis igitur legislatoris circa diuortiorum ius instituta accurate explicasse iuuabit. Sapientissime existimauit Romulus, non bene ordinatam, nec firmis superstructam esse fundamenta eam rem publicam, que non esset munita legibus, quibus virtuti firmissimum constitueretur praesidium, virtusque omnibus praecluderetur aditus; atque veram civitatis potentiam in bonorum ciuium multitudine, matrimoniorum felicitate, et sapienti iuuentutis educatione positam esse. Quapropter domestico ciuium statui constituendo manum admovit, tanta que in ea re cum felicitate versatus est, vt prudentissimi suis efficeret institutis, vt Sabinae etiam raptae vitioque in suorum Romanorum thalamos deduxitae et praemiorum spe et poenarum feueritato

eo

eo perducerentur, ut optimae fierent matres familiæ, felicissimorumque praeberent coniugiorum exempla. Effecit autem hoc in primis egregia illa lege de muliere, quæ sacratis legibus in manum mariti venit, omniumque bonorum et sacrorum socia facta est. Dionysii Halicarnassei beneficio huius legis memoria ad nostra tempora transmissa est. Is enim L. II. Antiqu. p. 95. scribit: γυναῖς γαμετὴν κατὰ νομὸς ἱεροὺς συνελθεταν αὐδῇ, κοινωνον τινας απαντῶν Χειμάστων τε καὶ ἱερον. Haec est illa lex, in qua omnis ea latet potestas, quam Romani viri in vxores sibi vindicarunt: haec est illa diuina constitutio, quæ pudicis mulieribus ciuitatem beavit, omnisque generis libidini frenum firmissimum iniecit. Tanta eius vis est atque grauitas, ut in singulis verbis aliquid lateat, quod iis, quæ deinceps fecutæ sunt, legibus satis amplam dederit materiam. In hac igitur lege paulo accuratius consideranda atque explicanda nos nec tempus perdere, nec operam ludere, sed rem utilissimam facere existimamus. Perulgatum est, omnibusque, nisi in omni antiquitate plane hospitibus, notum, romanæ vxores, nisi essent uxores tantum, tribus modis in maritorum conueniente manus, confarreatione, coëmptione et vsu. Confarreationis autem modus omnium antiquissimus fuit, ipsumque Romulum habuit autorem. Quidquid enim agat Raeuardus in Commentario ad XII. tabulas cap. XXI. ut vincat, Numam huius formæ fuisse auctorem, fidem tamen ei propterea habere non possumus, quod eam diserte Romulo vindicet Dionysius, per ἱεροὺς enim νομοὺς, sacratas leges, eum hanc confarreationis formam indicare voluisse, ipse, optimus suorum verborum interpres, declarat. Numam tamen huncce ritum, quum ius pontificium, cuius erat particula, constitueret, quoque illustrasse, et ut plura Romuli instituta confirmasse, negare non sustinemus. cf. Gruppen in vxore Romana p. 142. Huius confarreationis modum optime explicauit Ulpianus Fragm. IX. *Farre conuenitur in manum certis verbis et tibibus decem praesentibus, et solemnis sacrificio facto, in quo panis quoque farreus adhibetur.* vid. Schultingius ad eum locum atque Festus. Coëmptionis modum recentiorum temporum adinuenit subtilitas, cum romanae mulieres tantos caperent spiritus, ut non amplius se suaque omnia confarreatione, cuius difficultior erat solutio, tradere vellet. Cicero pro Flacco c. 34. Vsu denique uxores in mariti veniebant potestatem, nisi quotannis per trinoctium usurpatum

ab marito abessent. Gellius in Noct. Attic. III. 2. Mulier igitur, quae ex lege Romuli per confarreationem in mariti conuenierat manum, filia eius siebat familias, ex sui patris exibat potestate, quoniam in duorum potestate simul esse non poterat, redibat in potestatem mariti, mutabat statum, immo suorum liberorum habebatur soror. Vlpian. Fragn. XI. §. 13. Praeter peculum nihil retinebat proprii, sed omnia bona dotis nomine mariti afferebat, omniaque per eam acquisita bonis mariti adjungebat. Tam dura igitur erat romanarum vxorum conditio, quae liberali seruitu, si ita scribere licet, non absimilis videbatur: quapropter ne nimis esset iniqua, magnis propositis praemiis, atque successionis commodo hanc acerbam mulierum conditionem mitigare et ad contrahenda matrimonia mulieres inuitare voluit Romulus. Iussit enim vxores confarreatione maritis iunctas participes esse ἀπόντας χειρατῶν τε καὶ πέσων, quod Baldwinus in Commentario ad Romuli Legem XIII. per appositionem interpretatur, *ut ille domus dominus, ita haec domina: Relictis enim paternae familiae sacris, noui mariti, in cuius transferat familiam, sacra adipisceretur nouiter nupta: nemo autem ad priuata admittebatur iacula, nisi cui certissima successionis spes erat; omnium habebat bonorum mariti particeps, materfamilias appellabatur, et tanquam haeres sua in omnia mariti bona succedebat, quod diserte scribit Dionysius loco laudato: τελευτησάντος τε αὐθός κληρονόμος εγενέτο τῶν ηγεμάτων ὡς θυγατῆρα πατέρος, εἰ μὲν απόντας τέ καὶ μεθένος διαθέμενος ἀπόθεματος, πάντων κατὰ κυρία τῶν απόλειφθεντῶν, εἰ δὲ γεννήσι εχοι τοις παισιν στορμοῖς εγενέτο. Cf. Gellius XIX, 6.* Neque tamen vxor nullum ius consequbatur, de mariti bonis, eo viuo, quicquam constituendi, sed haec communonis honorum vis in solo successionis commodo spectabatur: quae enim filiae loco esset, quomodo aliquid proprii habere potuisset? Ex analogia igitur iuris et istorum temporum moribus hocce condominium interpretandum est. Quemadmodum enim filiis familias, etiam si nihil habent proprii, et adhuc in patris constituti sint potestate, recte dominium, quod ex utilitate, quam ex paternis percipiunt bonis, et certissima successionis spe accipendum est, tribuitur, herique minoris appellantur, ita etiam illud, cum eadem adsit ratio, vxoriibus recte adscribi posse, appetat. Negabatur propter hanc bonorum

norum communionem contra vxorem furti actio. L. I. D. de actione  
amotar. Immo etiam coniux, tanquam filia, non succedere  
marito, sed possessionem, quam iam eo viuo tenuerat, continuare  
videbatur. In hac tamen Romuli lege primae origines praetorii  
Edicti vnde vir et vxor, cuius in Insit. tit. de bonor. possess. §. 4.  
sit mentio, quaerenda non sunt. Primus enim Romulus vxorem  
ad legitimam mariti successionem iure heredis suae vocauit: deinde  
autem recentioribus temporibus, cum vxores non amplius in ma-  
ritorum manus venirent, neque legibus ipsis de successione pro-  
spectum esset, aequitas postulare videbatur, ut aliquo modo iis sub-  
veniretur. Atque illis temporibus hae origines adscribendae.  
Ilorum temporum mores, non regiae legis exemplum, Praetori  
occasione dederunt, atque impulerunt, ut vxoribus hocce pro-  
poneret beneficium, atque iis ex suo edicto bonorum possessionem  
daret. L. vn. D. vnde vir et vxor. Summum igitur confarreatio-  
nis commodum in certissima succedendi spe positum erat, cui non  
minus accedebat eo, quod eiusmodi matrimonia confarreatione ini-  
ta non facile solui possent; quod adeo verum est, vt Dionysius et-  
iam affirmet, tam firmum arctissime huius sacratissime legibus fa-  
ctae coniunctionis esse voluisse Romulum, ut nullo modo solui pos-  
set, vinculum: quam sententiam, cum non satis recte alias doctrinam  
Grupenium in Vxore Romana p. 179. accepisse videam, quid  
de ea statuendum sit, copiosius declarabo. Existimabat quidem  
Grupenius, nullo omnino modo hocce vinculum perimi potuisse,  
et propter Dionysii auctoritatem et propter iuris analogiam, quo-  
nam neutri diuortii faciendi ius esset, non vxori, quia in mancípio  
et potestate mariti, non marito, quoniam filiafamilias, qualis omnis  
vxor, quae in viri manum conuenit, inuita emancipari non cog-  
atur. Neutrum autem horum argumentorum magnam vim ad nos  
ad contrariam traducendos sententiam propterea habere potest,  
quod auctoritati Dionysii eiusdem auctoritatem opponimus, ipsius-  
que illustrationem ex ipsis, quae deinceps sequuntur, verbis ha-  
rimus: ea autem omnis disputatio, quae de ipso iure subtiliter in-  
stituta est, ad antiquissima haec tempora referri non potest, quippe  
quae ex eo iure petita est, quod iam Iureconsultorum subtilitatem  
expertum Romuleae legis simplicitatem respuit. Ipse igitur Dio-  
nysius nobis auctor est, Romulum diuertia permisisse, eorumque

causas

causas legibus definitae, attamen, quod sacris ceremoniis matrimonii vinculum per confarreationem colligaretur, id leui de causa rursus solni posse noluisse, ne ipsa religio in ludibrium deducetur. Tanta enim erat Romanorum grauitas atque sanctimonia, ut nihil publice priuatimque adhibita religione, suscepimus contemni et partui fieri vel religionis et Deorum causa vellent. Quemadmodum igitur sacris interuenientibus hocce matrimonium contrahebatur, ita etiam sine iis dissolui non poterat, quod confarreationem vocabant, cuius ritum solus Festus nobis descripsit: *Diffarreatio, inquit, genus est sacrificii, quo inter virum et mulierem fiebat dissolutio, dicta diffarreatio, quod faret farreo libo exhibito.* Huius autem diffarreationis in Iure nostro Iustineaneo nullam plane fieri mentionem mirandum non est, quam et ipsa confarreatio illis temporibus in desuetudinem abiisset. Eoque nomine Browerus de Iure Coniubiorum p. 67. Tribonianum accusat, quod Modestini nuptiarum definitionem, qua diuini atque humani iuris communicatio dicuntur, L. I. D. de Rit. Nupt. in Pandecten reperit, quae illis temporibus in usu amplius non esset; atque id profecto non sine omni rationis specie, quanquam pro eo defendendo dici possit, eum iuptias definire voluisse, quales ex Romuli lege optimo iure esse deberent. Verum nulla opus est defensione, id enim iam diu obseruarunt doctissimi viri, hoc sibi dedisse veteres Iureconfultos, ut saepius non satis accurate habita temporum ratione ipsa iura confunderent, atque in antiquissimarum legum explicatione de suorum temporum moribus et iure aliquid adderent, et contra in recentioris iuris enarratione antiquitus receptas definitiones retinerent, iuris que iam longa obliuione extincti tanquam adhuc vigentis mentionem facerent. Cf. Bynckersh. de Iure occid. liberos. L. I. c. 3. Vehementer errant ii iuris atque antiquitatum interpretes, qui existimant, diffarreationis modum ad solum flaminem atque flaminiacum Dialem pertinuisse. Hoc enim pacto confarreatio quoque ad solos hos faderotes pertinuerat, quae tamen omnibus ciuibus communis erat, modo propriam haberent domum, in quam vxorem deducere, proprium focum aramque, cui domesticos impone-re possent Deos, quorum sacra cum nouiter nupta communicarent. Quod enim ait Boethius ad Ciceronis Topica L. II. Segm. II. p. 586. confarreationem solis Pontificibus conuenire, id ita intelligendum est, necesse-

necessario ad matrimonium confarreatione contrahendum Pontifices adhibendos esse, neque sine eorum interuentu celebrari posse: vel pro *solis*, legendum est *sola*, i. e. nullo alio modo, quam confarreatione auptias contrahere potuisse Pontifices: quod, cum verbis nullam vim faciat, magis placet.

§. 5.

*Lex Romuli de legitimis diuortiorum causis. Iudicium de moribus, actio malae tractationis.*

Romulus quum optime nosset muliercularum ingenia, quam essent ad iram, varietatem, inconstantiam, levitatemque proclivia, et ad discedendum facilia, mulieribus diuortii faciendi potestatem non concessit, neque villam contra maritum actionem dedit, sed amore et obedientia suis se maritis probare iussit: sapienter intelligens, quantum periculi atque incommodi exinde respublica sentire posset, si inconstantiae atque ingenii muliebris infirmitati committeret iudicium de re, in qua omnem ciuitatis salutem felicitatemque positam recte arbitrabatur. Viris contra hunc habuit honorem, ut eos idoneos familiae iudices iudicaret, iisque vxores arctissimo quoque vinculo sibi iunctas, non tantum leuiter castigare, verum etiam, si gravius flagitium deliquerint, a thalamo arcere, diuortioque a se repellere permetteret. Verum ne nimis dura mulierum conditio, omnisque earum felicitas in maritorum arbitrio et manu posita videretur, legem tulit, qua hanc maritorum potestatem circumscriberet, ne leuem ob causam tanta iniuria possent affici. Huius legis mentionem facit Dionysius Halicarnasseus L. II. ταῦτα δε οἱ συγγενεῖς μετὰ τὰ αὐδοὺς ἐδικάζον, εν οἷς καὶ φέρονται σωρότος, καὶ οἱ πάντες ελαχίστην αμαρτηματον εἶλησι δοξεῖν αὐτούς φέρειν, εἰ τις οὐνος εὐφεδρην πιστὰ γυν. Αμφοτέροι γαρ ταῦτα τῆμον εκέλευσε ο Ρωμιός, ως αμαρτηματον γυναικειων εσχάτα, φέρονται μεν, απονοιας αρχήν νομίσας, μεθὺν δε φέροσας. Atque ex hoc loco Dionysii sine dubio petita est ea restitutio legis Romuleae, quam nobis Balduinus dedit his verbis: *Adulterii coniustum, vir et cognati, uti volent, necanto: si vinum biberit, domi ut adulteram, puniunto.* Nos primum, quid de ipsa lege monendum sit, videbimus, deinde vero Balduini restitutionem ipsam diligenter considerabimus. Primo statim

C

statim

Statim intuitu apparet, omnem huius legis dispositionem ad tria capita referri posse, quorum veretur primum in grauioribus mulieris eriminibus enarrandis, alterum in poenae genere fanciendo, atque tertium denique in marito cum cognatorum consilio huius rei iudice constituendo. Duplici autem modo et adulterio committendo, et vino bibendo, mulieres grauissime peccare Romulus iudicauit. De adulterio profecto nulla est dubitandi ratio, grauissimum esse illud flagitium, quod omnium fere gentium instituta atrocissima poena expiari voluerunt: apud Athenienses quidem lege Solonis et dotem lucrabatur maritus et vxorem aequae ac adulterum impune interficiebat. Cf. Meursii Themis Attica p. 12. Sed quod vini haustum et pudicitiae mulierum tam periculosum, et propterea tam graui poena prohibendum, adulterioque aequiparandum iudicauerit Romulus, id mirum videri possit. Ipse fane Dionysius quid de eo sentiat, satis clare indicat eo, quod ἐπαχίσαν αμαστηρατον Graecis videri addit. Est autem hoc ex istorum temporum moribus aestimandum. Erat nempe hoc in Italia antiquissimum institutum, ut mulieres a vino abstinerent, et ante Romulum Fatum Faunam, Fauni sororem et coniugem, quod vinum bibisset, ad caedem virginis caesari legimus. Idem mos apud varios Graecos populos obtinuit. Athenaeus L. X. c. 7. Eleganter autem huius legis rationem nobis reddidit Valerius Maximus L. II. c. 1. §. 5. *Vini usus olim, inquit, Romanis foeminae ignotus fuit, ne scilicet in aliquod dedecatur prolaberentur: quia proximus a Libero Patre intemperantiae gratus ad inconcessam Venerem esse consuevit.* Addimus huius auctoritatem Ciceronis L. IV. de Republica: *Magnum vim habet disciplina verrecundiae. Carent temeto omnes mulieres.* Quum igitur tanta sit vicinitas inter ebrietatem et furtios amores, ut hi plerunque illi originem debere videantur, recte profecto Romulus vini haustum inter γυναικες αμαστηρατον τοξεων numeravit, omnique mulieribus, quas caffissimas esse volebat, vini usu interdixit, atque eo etiam consilio cognatis ius dedit, osculo cognatas excipiendi et salvandi, ut experientur, an vinum bibissent, cuius moris Plutarchus in romanis quaestionibus, varias, et pro Graeculo hominis ingenio, ingeniosas profert origines, et causas, cum tamen nulla alia sit, quam haec ipsa Romuli sanctio, qua mulieres abstemias esset iussit. Gellius X. 23. Haec res etiam nuncquam abrogata sed libera.

rae etiam reipublicae temporibus, quantum ex historicorum scriptis colligere licet, diligenter obseruata sit, tamen ipsius temporis diuturnitas poenae seueritatem mitigasse videtur, vsque ad illa tandem corruptissima tempora, quibus impunitatis et scelerum omnia plena, mulieres abstinentiam quoque a vino cum ipsa pudicitia deponerent, nec esset amplius, auctore Tertulliano, *Apolog. c. 6* prae vino ullum liberum osculum, nec putaretur

Turpe iacens mulier multo indefacta Lyaeo.

Hicce duabus, quas iam ex Dionyfio commemoerauimus, legitimis diuortiorum caufis, Plutarchus in Vita Romuli p. 31. alias duas aequa graues addit, φαρμακεια τεκνον και κλειδων υποθολην. Φαρμακεια quidem τεκνον ex ingenio et moribus Romanorum, quibus maximi habebatur πολυπαθια, grauiissimum crimen erat, quo reipublicae eripiebatur id, in quo summam posuerat spem. Κλειδων autem υποθολη quid sit, non fatis constat. Vedit iam Guil. Xylander, in κλειδων vocabulo vitium aliquod latere, quapropter παδων legere maluit. Cuius sententiae subscribe non dubitarem, modo scripti libri accederet auctoritas. Et facilis est emendatio, et sensum praefat optimum. Etenim si κλειδων υποθολη per furtum velis interpretationi, reperies sententiae tuae obstat fanctionis poenalis modum. Furta enim coniugum non diuortio vindicamus, sed soluto matrimonio actione rerum amotarum persequimur. Marcius in Interpretatione ad XII. Tabulas Plutarchum de clauibus cellae vinariae, quas sepositas et signatas in loculis fibi mariti seruare solebant, intelligit. Satis, si vis, eleganter. Quicquid sit, non noua crimina, sed superiorum, adulterii et ebrietatis, vberiorem apud Plutarchum per species haberi enarrationem atque explicacionem, appareat. Liberorum enim beneficia et suppeditio, non nisi in mulierem, cui nulla sacra thori iura laedere religio est, nec clauium cellae vinariae adulteratio nisi in vinofam cadunt. Manet igitur hoc, Romulum, non nisi contra impudicas et intemperantes mulieres virorum manus armasse. Sequitur iam, vt etiam de poenae genere videamus. Dionysius ait, propter has causas licuisse marito, vxorem multare, εκτελεσεν δημον, et Plutarchus affirmit, habuisse virum expellendi potestatem, εκβαλλει την γυναιξ. Nulla hic pugna: et tamen a DD. in diuersas sententias itum. Putant enim nonnulli, licuisse marito etiam morte multare vxorem,

duci forsan lectione Codicis Vaticani, qui in hoc Dionysii loco habet: συνεχογετες ζητουν θαυμα, et quorundam MSptorum, qui apud Gellium *necare pro multare* habent. Defendit in primis hanc sententiam Lipsius in Excurso ad Taciti Annal. L. IV. c. 42. Sed nos, qui, auctoritate magni Cuiacii L. VI. Obs. 25. subleuati, existimamus, non licuisse marito, mulierem vel adulteram vel vinofam vita, sed tantum matrimonio multare, neque Codicis Vaticani et MSptorum auctoritas, neque exempla, quae in hanc rem in mediu[m] proferuntur, mouent, sed in Dionysii et Plutarchi maxime testimoniois nostram sententiam optimum praesidium inuenire arbitramur. Et memini me legere, Segerum, V. C. eius elegantiam et doctrinam veneror, amicitiam autem et fauorem maximam facio, in historia Tutelarum p. X. eandem mecum opinionem habere. Dicem tamen libere, quid hac de re mihi in mentem venerit. Adhibita puto leui distinctione hunc totum scrupulam tolli posse. Indulgit scilicet Romulus ingenio et iustae irae maritorum, et si in ipsa turpitudine reprehenderent vxores, eas una cum adultero interficere permisit: fin vero iudicium de moribus instituerent, et cognatos in consilium adhiberent, tunc eos praemeditato animo non amplius interficere, sed domo tantum vxores cicerere posse voluit. Est autem haec distinctio ita comparata, ut omnem statim componat item, neque verbis autoruni ullam vim faciat: ea quoque exempla, quae contra nostram sententiam extant, de maritis, qui de vxoribus ultimum supplicium sumferant, si ita, vti dixi, accipiuntur, optime explicari possunt, adeo ut nihil, quo id, quod possumus, possit impugnari, in iis relinquatur, sed iam ad nostram sententiam magis magisque confirmandam egregie valeant. Excellens huius rei documentum est in Egnatio Mecennio, cuius Plinius L. XIV. c. 13. mentionem facit, qui ex eo capite apud Romulum accusatus, quod vxorem, quae vinum bibisset, et ebria facta esset, interficerat, ab eo absolutus est. Hic quomodo accusari potuisset, si legitima poena vxorem affecisset, si per ipsam Romuli legem vxorem intemperantem interficere licuisset? Sed fecerat hoc animi calore, non quod faciendo potestatem per legem haberet. Denique Cato apud Gellium in illa de dote oratione plane meani distinguendi rationem confirmat: *In adulterio, inquit, si uxorem tuam reprehendisses, sine iudicio impunecares.* Sine iudicio scilicet de moribus, non adhibitis cognatis, impune,

pune,

pune, quia impatientia iusti doloris, quanquam contra leges. Paulus in Recept. Sentent. L. II. Tit. XXVI. §. 5. Hac autem Romuli indulgentia deinde factum esse mihi videtur, vt moribus licet marito eodem iure vti, quo pater vtebatur, qui filiam adulteram in rebus Venereis reprehensam vna cum adultero impune interficiendi potestate habebat, quod tamen lege Iulia mutatum. In viuernsum autem meae sententiae obstare videtur locus Taciti Ann. XIII. 32, vbi Plautius de vita famaque vxoris coram propinquis, ex prisco instituto iudicasse dicitur: quem locum Lipsius in supra laudato Excursu vehementer vrget, atque efficere conatur, ex lege Romuli et iam morte puniendi ius maritum habuisse. Superstitionis externae rea erat facta Pomponia Graecina, Plautii coniux. Ergo addit Lipsius: *Si in superstitionis criminis hoc marito iuris fuit, credo etiam in adulterii.* Sed male hunc totum locum Lipsius intellexit, qui aliter omnino erat accipendus. Nam quod Tacitus commemorat, Plautium hoc fecisse *ex priso instituto*, id tantummodo ad iudicium de moribus et cognatorum conuocationem et consilium pertinet, minime vero etiam ad cognitionem de vita famaque vxoris. Erat etiam id ipsum crimen externae superstitionis, vt vocabant, sive Iudeae, sive Christianae plane nouum: ad quod coercendum quam crudeles poenas istorum temporum ethnici imperatores excogitarint, quis est, qui ignoret? Erat igitur haec capitis famaeque poena plane extraordinaria, et non nisi ad peregrina et noua sacra opprimenda marito concessa ab Nerone: ex ipsa autem lege Romuli non nisi diuortii causa hocce instituebat iudicium, vt statim dicemus: quapropter, propter externam superstitionem ex lege Romuli non solum capititis, sed ne quidem de moribus iudicium Plautius instituere potuisse. Erat vero etiam diuortii fatis gravis et ad quamvis iniuriam expiandam sufficiens poena. Omnia enim commoda confarreatio parata amittebat mulier diuortio, omnem que dotem, vt ex Plutarcho in Vita Marii p. 427. in fin. colligere licet, apud maritum relinquebat. Recentiorum quippe temporum moribus id deberi videtur, vt tantum pars dotis, facta diuortio ob mores, apud maritum maneat, cum ex priso instituto viuernsum dotem lucraretur. Domo expellebatur, nec ad cognatos, qui ipsi iudices hanc poenam scriperant, nec ad amicos, quibus iam quasi aliqua macula laborare videbatur, refugium patebat, neque dote destituta, rursus nubendi honestam

conditionem facile inueniebat. Tanta igitur quam esset diuortium poena, tanta huius poenae grauitas, sanctionis que severitas, ipsa morte non multo inferior: non quavis de causa, sed tantum ob grauiores, quos enumeratimus, mores sibi locum vindicabat: si leuior causa, si iurgium inter coniuges ortum, id, deposita omni animi contentione, in Sacello Deae Viriplacae componebatur, referente Valerio Maximo L. II. c. 1. §. 6. Sin grauior, iudicium de moribus instituebatur. Ipse maritus in hoc iudicio tanquam *rex meyedz* *tys tymagras uxoris* legitimus iudex sedebat. Attamen Romulus ne propter fictum flagitium vel vanam suspicionem mulieres tanta possent opprimi iniuria, aut innocentes tantam subire poenam cogerebantur, quae et matronali honore et omni dote eas spoliaret, hac ipsa lege constituit prudentissime, vt nullum ratum esset diuortium, nisi maritus prius cognatos eius rei causa conuocasset et in consilium adhibueriset: quamobrem solum maritum de hac re iudicare prohibuit, sed cognatos, quasi iudicii aessefiores, qui causa cognita, exploratis vxoris moribus, de ea vel retinenda in matrimonio, vel repudianda, sententiam ferrent, adhiberi, atque ita eosdem, qui innocentiae vindices et defensores essent, criminis quoque iudices et vltores fieri iussit. Solebant autem cognati in foeminarum mores priuatam instituere cognitionem, atque domesticam exercere iurisdictionem, quae res ipsa ex Romuli instituto originem duxisse videtur. Multa huius rei exempla apud scriptores extant: sic v. c. Senatus apud Liuum L. XXXIX. c. 18. cum Bacchinalia sceleris reprimere vellet, damnatas foeminas cognatis, aut in quorum potestate essent, vt ipsi in priuato in eas animaduertenter, tradendas censuisse dicitur. Nec defunt sub imperatoribus exempla apud Suetonium in Tiberio c. 35. et Tacitum Annal. XIII. c. 32. Ipsum autem hocce de moribus iudicium nulla alia quam diuortii caula ob grauiores mores instituebatur, et plane domesticum et ab omnifori strepitu alienum erat. Successu tamen temporis in eo omnia mutata esse constat. Enarravit huius iudicij de moribus historiam Franciscus Conradus Romanus in Exercitatione de Iudicio morum inter coniuges et despontatos veteri et hodierno. Omnem tamen rem non satis recte mihi cepisse videtur, qui Putet, illud per Iustiniani constitutionem sublatum esse. Iam ante Iustiniani tempora in desuetudinem abierat, et

et quomodo Iustiniani intelligenda sit *constitutio*, alias alio tempore erit differendi locus. Iam autem satis mihi video demonstrasse, ex quibus causis, et qua ratione et obseruantia diuertia fieri Romulus voluerit: nec his quicquam amplius addam. Attamen si ex alia causa illegitima, vel non conuocato cognatorum consilio vxor domo erat electa, diuortioque a marito mulierata, tunc ei Romulus actionem maleae tractationis contra maritum concessit, ad id, ut dimidia pars bonorum vxori ad iniuriam expiandam, dimidia Cereri adiceretur. Sed etiam hoc deinde mutatum videtur. Argumentum tamen ex eo mihi ducere posse video pro ea sententia, quam supra professus sum, de retentione vniuersae dotis. Quemadmodum enim omnia mariti bona, propter diuortium iniuste factum, ipsi eripiebantur, ita etiam si illud legitimum, omnem dotem apud maritum mansisse appareret. Explicato iam ipso Romuli instituto, ut pauca de Balduini, quam supra dedimus, restitutio legis Romuleae addamus, restat. Facili negotio tota res confici poterit. Ipsa legis verba ad nos non peruenere: Sed ea, quae Balduinus habet, ipsius debentur ingenio, nisi quis ea Marlianae tabulae, cuius quam suspecta fides sit, quis est, qui ignoret, accepta referre malit. Qua de causa hanc restitucionem in iis tantum verbis probamus, in quibus auctoritati Dionysii, diligentissimi scriptoris atque Plutarchi, rerum romanarum satis periti, non repugnat. Apparet autem, omnia se bene habere; omniaque Balduino concedi posse, praeter verba: *vir et cognati necanto*. Non mortis, sed diuortii poenam hanc Romuli sanctionem continuuisse copiosius demonstrauimus. Liceat igitur nobis cum bona tamen Balduini gratia, eius coniecturam leui emendatione adiuuare, et pro *necanto*, *multanto* reponere. Tunc tota res salua erit. Sic enim apud Plautum in Amphitr. dicitur, *quin te hoc matrimonio multem*. An denique recte Balduimus duo huius legis Romuleae capita fecerit, unum de adulterio, alterum de abstinentia a vino, inanis questio propterea videtur, quod de ea, cum praeter Plutarchi et Dionysii loca ad nos nihil peruererit, hi autem sensum tantummodo legis, non ipsa referant verba, nihil certi constitui potest. Existimat tamen Marcilius, hanc vniuersam de pudicitia legem uno capite in XII. tabulas translatam esse.

## §. 6.

*Numae instituta. Diuortium Flamini Diali prohibitum.*

In Numae institutis quosdam iuris antiqui interpretes confar-  
erationis aequae ac diffarreationis ritum solennem, propterea, quod  
iste primus farris vsum in sacrificiis induxisse apud Plinium dicatur,  
numerare, me iam supra commemorare: verum hanc opinionem  
non probare, sed Dionysii in primis auctoritate commotum, hunc  
ritum Numae temporibus antiquorem et cum ipsa vrbe natum,  
statuere, memini: quapropter quae iam dicta sunt, hic non repeto,  
sed hoc tantummodo addo, me non sustinere negare, verisimili-  
mum videri, hanc quoque sacram ceremoniam, vti alias, a Numa  
confirmatam, in certamque formam redactam videri: qui non  
ignorem, Numam in religiosis rebus constitutis in primis diligen-  
tem et curiosum fuisse: quippe qui et omnem sacrificiorum for-  
mam ordinavit, iurisque Pontificii, cuius matrimoniales causae  
particulam efficiunt, auctor fuit. Aliud autem, sit tamen con-  
iecturae venia, certi enim nihil affirmare audeo, eius institutum  
proferam. Dicunt veteres auctores, Flaminis Dialis matrimonium  
nullo modo solui potuisse. Gellius L. X. c. 15. Festus voc. Fla-  
minica. Plutarchus in Quaest. Rom. 50. Primus Numa Flamines  
instituit: ex eius lege prohibitum Flamini Diali diuortium deducere,  
non dubito, qui alias huius prohibitionis origines apud  
auctores nullas inueni. Poterat autem ad hocce sacerdotium non  
nisi ex confarreato matrimonio natus, atque ex confarreatis nuptiis  
maritus adspirare: excludebatur et celebs, et ex secundis votis  
maritus: nec soluere licebat matrimonium; sed siue morte siue  
diuortio solutum esset, flaminio abdicare debebat. Huius autem  
instituti Numam auctorem facere, quid prohibet? Simile aliquid  
huic romano instituto in primae Christianae ecclesiae disciplina mihi  
inuenire videor, in eo, quod Episcopo non erat permisum, dimissa  
priori vxore aliam ducere. Iusserat enim Paulus Apostolus, Epi-  
scopum esse debere viuis vxoris maritum, non bigamum, h. e.  
non ex secundis nuptiis maritum. Quapropter Episcopo, si qui-  
dem suam retinere vellet dignitatem, non magis, quam Flamini  
Diali, diuortium facere licebat, eo forte confilio, vt aliam deinde  
duceret vxorem: id enim moribus Christianorum receptum erat,

vt,

vt, facta diuortio, statim noua vota concipere, utriusque parti integrum esset, quod iuris canonici legibus mutatum est, vt Theod. Beza in Tr. de Polygania, et Salmasius de foenore trapezitico p. 310. docuerunt. Ab hoc autem communi Christianorum more Episcopus propter Pauli legem excludebatur: quippe qui ne propter adulterium quidem, vxori repudium mittere eo consilio poterat, vt aliam sibi duceret uxorem, quia hoc pacto ex secundis nuptiis bigamus fieret: cuius rei ratio, nisi omnia fallunt, in eo inest, quod secundas ad nuptias transitus incontinentiae signum putabatur, quae ab Episcopo, si a quo alio, vel maxime abesse debebat. Eadem igitur etiam res erat, si morte solutum matrimonium, nouam que in prioris locum sibi adiungere Episcopus non poterat. Sed redeamus ad Romanorum circa diuertia mores.

## §. 7.

*Historia diuortiorum ex Legibus XII. Tabularum.*

In Duodecim Tabulas deinde a Decemviris saluberrima Romuli lex relata videtur. Non enim orales leges regias, quibus iam Romanorum ingenia adstuefacta, tribunicia lege abrogatas esse conflat, sed tantum eas, quae vel libertati nouae reipublicae aduersarentur, vel regium faperent imperium. Neque aliter intelligendus est Pomponius in L. 2. §. 3. D. de Origine Iuris. *Exactis deinde regibus lege tribunicia omnes leges hae exoleuerunt.* Minima enim commatis interpunctio cum Rittershusio recte hoc momente post tribunicia restituta est. Tribunicia Brutii lege reges quidem exacti, sed leges non abrogatae, quippe quae iam in mores et consuetudines ita abierant, vt non amplius legum vigorem habere, sed tanquam mores obseruari viderentur. Ipfae autem regiae leges centuriatis et curiatis comitiis perlatae, ipsum potius populum, quam regem auctorem habebant. Ex hisce autem moribus partim, partim ex Graecis legibus duodecim tabulae conscriptae dicuntur. Quapropter exilimandum non est, deceuniros, sapientissimos grauiissimosque viros, odio regii nominis ductos, negligens patriis utilissimis institutis, sine necessitate peregrinas induisse leges, sed potius graecarum gentium instituta in subsidium adsumisse, vbi nempe domesticis legibus vel omnino non, vel

D

non

non satis recte saluti reipublicae prospectum viderent. Atque eo factum est, ut plurimae leges regiae in duodecim tabulas migrarent, inter quas etiam haec nobilissima Romuli sive videtur, qua seueritate et elegantia necessario sese nouis legislatoribus omni commendaret modo. De ipsa autem hac iuris decemuiralis parte integrum nihil ad nos peruenit: attamen constat ex fragmento Caii ex L. III. Commentarii ad leges XII. tabularum, decemtirois hunc de diuortiis atque repudii locum plane intactum non reliquisse: quid sanxerint, non nisi coniectura assequi licet, qua, quid efficere possimus, videamus. Fulvius quidem Vrsinus ad Ant. Augustinum de legibus et SCtis p. 19. edit. Rom. ipsa nobis verba legis recitat: *Sei. vir. aut. molier. alteri. non tui. misericordia. diuortion. effod. molieres. souas. fibei. habeto. vir molieri clavis admittas. excitoque.* Verba antiquitatem sapiunt, sed ipsarum fides sit penes Vrsinum, cuius ingenio natales debent. Eundem huius legis sensum Hotomannus XIII. Obs. 39. refert. Vtique longe modeſtor Godofredus locum tantummodo, quo ab Decemuiris de diuortiis actum videretur, in Tabula VI. vbi de possessionibus scripsere, indicare contentus fuit. Et recte quidem, nisi me omnia fallunt, hunc locum assignauit Godofredus diuortiis. Nam ixor tanquam res mobilis a marito possidebatur. Vnde factum, ut ipsa discedere non posset. Non enim res ipsa, legitime possessa, ad priorem libertatem prouocare, sed is, qui possidet, eam e manu sua mittere potest. Laudat etiam in Probationibus duos locos auctorum, quibus num quid et quale offici possit, videamus. Primus est ex Caii L. III. Commentarii ad XII. Tabulas, et in L. 43. D. ad L. Iul. de adult. ita se habet: *Si ex lege repudium misum non sit, et id circa mulier adhuc nupta videatur, tamen si quis eam uxorem duxerit, adulter non erit.* Idque Salvius Iulianus respondit: *quicq; adulterium, inquit, sine dolo malo non committitur: quanquam dicendum, ne is, qui foret, eam ex lege repudiata non esse, dolo malo committat.* Iam in hoc Caii fragmento reliquiam Iuris decemuiralis sibi inuenire vilius est Godofredus, an recte, doctiores iudicent. Evidem saepius animaduerti, diligentissimum hanc vetustissimarum legum restituторem in eo falli, quod speciem atque vimbram pro re ipsa capiat. Occurrit statim in principio huius textus *legis* vocabulum, quod de lege XII. tabularum intelligit Godofredus. Non nego, hoc sensu.

sensu legis vocabulum saepius in iure nostro occurtere, et recte per excellentiam legis nomine audit hic veteris iurisprudentiae thesaurus, ex quo tanquam fonte omne ius diuinum aequum ac humanum recentiores Iureconsulti hauserunt, et ad suos riuos deduxerunt. Verum valde ambiguum hocce legis vocabulum saepius verba dedit interpretibus, efficitque, ut pro decemviral iure sument id, de quo decemviri ne quidem cogitarint. Diligenter igitur vnoquoque loco circumspiciendum est, ne haec perfida vox, si iusto maiorem ei tribuanus fiduciam, nos prodat. Videtur quidem in hoc Caii loco, propterea, quod ex eius ad XII. tabulas Commentario definitus est, ipsam XII. indicare, et haec sine dubio ratio est, quare eum Godofredus inter suas probationes retulerit: sed cum et alium sensum multoque commodiore admittat, non multum abest, quin de eo accipiam. Leges Iuliae saepe *leges* tantum simpliciter nominantur. Atque ita hoc loco *legem* de lege Iulia de adulteriis accipio. Id, ut existimem, et ipse locus, quo hoc Caii fragmentum retulit Tribonianus, et ipsa legis verba faciunt. Et quid impedit, quo minus Caius in eo loco, quo XII. tabularum de diuortiis explicat constitutionem, non legis Iuliae faciat mentionem? Certe de Lege Iulia accipiendum esse Cauium ipse Tribonianus indicare videtur, quod in eo capite, quo hanc explicat, huic Caii fragmento suum locum adsignavit, quem alias melius in titulo de diuortio inuenisset. Deinde etiam ipsa Caii verba id euincunt: *Si ex lege repudium missum non est*, nihil aliud indicant, quam, si non eae obseruatae sunt solemnitates, quas obseruari iussit lex Iulia, de quibus infra dicendi erit locus: *ad huc nuptam vireri*. Lege enim Romuli nullae praescriptae erant solemnitates: sed in arbitrio mariti erat positum, num vellet dimittere vxorem, quanquam id non nisi, quas commemorauimus, de causis liceret, nempe si vinum bibisset, si adulterium vel beneficium in liberos commisisset, vel alienum pro suo partum supposuisset: si ex alia causa iniuste dimisisset vxorem, non amplius videbatur nupta, sed actione maleae tractationis aduersus maritum, quem leges post diuortium hostem appellant, experiebatur, ut dimidia mariti bonorum pars ipsi, altera Cereri adiudicaretur. Lege autem Iulia res aliter se habebat: diuortium enim illegitime factum diuortium plane non videbatur, sed matrimonium adhuc constare dicebatur:

quoniam non nisi adhibitis certis solemnitatibus diuortium fieri volebat: quapropter hocce Caii caput non ad decemuiralem, sed Iuliam legem pertinere videtur. Quanquam autem haec mihi meditanti non multum a vero abesse viderentur, obstabat tamen, quod diffarreatione tantum matrimonio confarreata solui posse voluerat Romulus, in qua profecto solemnitatibus plurimum inest: accedebat auctoritas Godofredi, quo duce tutius videbatur errare, quam nouam, etiamsi verissimam, sed non satis firmis argumentis stabilitam sententiam sequi: verum in tempore delatus sum in eum Euerhardi Ottonis locum, quo eandem, quam proposui, opinionem defendit. Gratulatus mihi sum, eadem mihi, quae tanto viro, in mentem venisse: ad eum delego, qui plura velint, quibusque adhuc scrupulus animo haeret. Est locus in Praef. Tomi IV. Thefauri p. 10. Iam igitur si cum Ottone facimus, hocce Caii fragmentum omnino ad XII. tabulas non pertinet: si cum Godofredo, pertinet quidem, sed luminis nobis parum affert. Videl quoque iam ipse Godofredus de solemnitatibus illud intelligendum non esse, quippe quae non est XII. tabulis, sed ex prudentum interpretatione profectae sunt. Videat igitur quisque, per nos licet, *utra* sententia maiorem non dicam veritatis, sed tantum verisimilitudinis speciem praese ferat. Sequitur alter locus, quem nobis Godofredus in Probationibus ex Ciceronis Philippica II. c. 28. exhibet. *Nolite, nolite querere. Frugi factus est. Illam suam res sibi habere iussit ex duodecim tabulis: claves ademit, exegit.* Grammaticorum castigationibus, qui nullum verbum intactum reliquerunt, totus hic locus male vexatus est. Verum nihil ad nos pertinet, qui iam doctas istas nugas non curamus, quosdam legere, minam illam suam et pro claves clausa, clavos et forasque exegit: modo salua nobis maneat verba: *ex duodecim tabulis, quibus nonnulli Codices posita maxima interpunctione post iussit,* addunt: *cousanque adiecit, alii addidit, alii adduxit.* Haec enim si nobis eripiuntur, quid de toto hoc loco dicamus? At enim vero Criticorum diligentissimi ea non agnoscunt. Siberus ea pro glossatore, illustrationis causa in margine a quodam apposito et ab imperito librario in contextum recepto, habet. Eius sententiae Graeuii *τε παντες* auctoritas pondus addit. Salvo sensu et adesse et abesse possunt. Tota res MSptorum auctoritate dijudicanda;

quorum

quorum inspiciendorum quum nulla nobis fuerit copia, in Graeuii iudicio, donec probentur meliora, acquiescimus, eius sententiae subscribimus, verbaque: *ex XII. tabulis causam addidit*, a Ciceronis manu esse negamus. Accedit, quod etiam Nonnius Marcellus, qui hunc Ciceronis locum exhibit, *v. exigo*, haec verba ignoret: ex cuius tamen testimonio reliquam Tulliani loci particulare recte se habere, colligi potest. Quanquam enim non ignorrem, nullum firmum duci ex veterum grammaticorum libris argumentum pro lectione aliqua vel impugnanda vel defendenda, quippe qui auctorum locos saepius sine fide et diligentia laudent, tamen si iam aliae adhuc causa, horum quoque testimonium admittendum arbitror. Elegantissima est Euerh. Ottomis emendatio, quaeque, si quae alia, perplacet. Pro *ex XII. tabulis* legit: *fractis tabulis*: fractae enim tabulae diuortii signum erant. Ex hoc autem Ciceronis loco, eiusque in primis ultimis verbis: *claves ademit, exigit*, nata sine dubio est ea, quam Vrbinus ingeniose in medium protulit, ipsius legis restitutio. Verum has solemnitates formulariae non decemviral iurisprudentiae origines debere, quis est, qui non intelligat? Neuter igitur locus et Caii et Ciceronis, si, quod verum est, dicere licet, ad XII. pertinet. Quanquam autem hoc ita sit, tamen res falsa est. Alia enim nobis in promptu sunt documenta, quibus doceamus, eisque omnino in suis tabulis Decemviros de diuortiis. Et primo quidem ipsa inscriptione laudati loci Caii nobis argumentum praebet. Illustrat enim Legem XII. de diuortiis ex Lege Iulia. Deinde Gellius nobis auctor est, L. III. c. 2. ex decemvirali descendere iure, quod mulieres, quae vsu in maritorum manu essent, ad interrupendam usum capionem quotannis per trinoctium usurpatam abnoctarent. Iac. Cuic. ad L. 2. D. de Usucap. et Usurpat. Hoc autem scripsisse Decemviri videntur in eo loco, quo etiam de reliquis modis et contrahendi et dissoluendi matrimonii disposituerunt, quem Godofredus ad Tabulam VI. de possessionibus refert. Denique etiam Alex. ab Alexandro L. VI. Dierum genialium c. 10. nominatum affirmit, de diuortiis Decemviros legem proposuisse. Fuit autem haec sine dubio ipsa lex Romuli, qua nihil scribere potuerunt aut melius aut sanctius. Liceat nobis coniectura hanc sententiam subleuare, quam firmioribus argumentis stabilire non possumus. L.

Valerius cum legem Oppiam abrogandam populo suaderet, et regiae et decemuiralis legis per partitionem ita apud Liuium L. XXXIV, c. 6. facit mentionem, ut appareat, de eadem re latam et regiam et decemuiralem extitisse legem, immo decemuiralem ipsam regiam esse. Eius verba haec sunt: *An vetus regia lex simul cum irbe nata? an, quod secundum est, a Decemuiris, ad condenda iura creatis, in XII. tabulis scripta? sine qua cum maiores nostri non existimarent, matronale decus feruari posse, nobis quoque verendum sit, ne cum ea pudorem sanctitatemque abrogemus.* Facile concedo, leuius hocce esse argumentum: ipsum tribunum plebis, vel potius Liuium, qui ex tribuni ingenio hanc compositum orationem, distingue inter legem Regiam et XII. tabularum, quod non fecisset, si ipsa lex Romulea in decomuiralem esset relata, contra illud dici, sed responderi quoque posse, ad augendam rem tribunum plebis partione vti, atque temporum ratione habita omnes recensere leges, quibus Romanarum vxorum sanctitas et verecundia fundata videtur, non ignoro: tamen in re obscura ne leuissimam quidem argumenti speciem praetermitendam esse censeo. Verum etiam si quis hoc nobis dare velit, Decemuiriis et de diuortiis legem scripsisse, eamque ipsam Romuleam esse, tamen res nondum omnino confecta erit: nam et integrum, et pro parte tantum et cum mutatione aliqua transferre potuerunt. Aliqua igitur illustratione hic locus copiosiori non indigens videtur. Dico, ipsam Romuli legem nullam mutationem vel correctionem perpetuam, in XII. receptam esse: idque optime me demonstrare posse arbitror, si ostendam, legem XII. eadem, quae Romulea, continuisse: infinita enim hac comparatione deinde facile apparebit, omnia ex illa in hanc esse translunta. Summa legis Romuleae eo redit, vt soli marito diuortii faciendi potestas concessa sit, vt non nisi ob mores vxoris grauiores, et conuocato cognatorum consilio id facere possit, soluto denique matrimonio, vt vniuersa dos penes maritum maneat. Horum autem nullum ab Decemuiris mutatum est. Suavis profecto est Cunradus Rittershusius, qui in Dodecadelto p. 92. putat, ex XII. tabulis vxoribus licuisse repudium mittere maritis, et propterea egregie commendat Hotomanni restitucionem huius legis. Sequutus sine dubio Barbofam, qui ad rubricam tituli ff. soluto matrimonio primus hancce monstrosam opinionem protulit. Si haec senten-

Sententia aliquo modo defendenda esset, in graeco iure, ex quo plura in XII. translata constat, praesidium inueniret. Graeci enim, Romanis longe eleganter, sequiorisque sexus genio plurimum indulgentes, vxoribus diuertere permiserunt. Meursius in Them. Attic. L. II. c. IX. p. 80. Petitus in Legib. Attic. L. VI. Tit. III. Romana autem seueritate, castissimis illis temporibus qualis erat, eiusmodi lex, quae muliercularum libidini tantum indulgeret, virisque claves reddere et domo discedere permetteret, plane indigna, cui non videatur? Apud solum igitur maritum diuortii arbitrium etiam ex lege decemuinali erat, apud eundemque solum multos permanit annos. Colligi id potest ex disertis verbis Plauti, apud quem Syra anus in Mercator. Act. IV. Sc. VI. hoc nomine iniquam mulierum dolet conditionem:

Ecastor lege dura vivunt mulieres,  
Multoque iniquiore miserae, quam viri.  
Nam si vir scortum duxit domum,  
Id si reficiuit vxor, impune est viro.  
Vxor viro si clam domo egressa est foras,  
Viro sit causa, exigitur matrimonio.  
Vtinam lex eadem esset, quae vxori est, viro!

Tam dura igitur cum Plauti atque etiam adhuc Catonis tempore, ut ex Gellio L. X. c. 23. patet, esset mulierum conditio, ut etiam in ipso adulterio virum deprehendissent, nec auderent, nec ius esset eum digito contingere, decemuinali legi discedendi potestatem mulieribus datam non esse, sed humani quid Barbolam et Rittershusium, et qui eos sequuti sunt, paucos, manifestum est. Hocce igitur legis regiae caput nullam ab Decemuiris correctionem expertum esse patet. Eodem modo se res habet cum altero de cognitorum consilio conuocando: huius enim iudicii exempla posteriorum temporum historia plurima habet: et Tiberius illud de nouo confirmasse dicitur. Neque circa diuotiorum causas ab Decemuiris aliquid vel immutatum vel noui constitutum, apud vulnus auctorem me legere memini: sed retinuerunt has duas causas, adulterium et vni haustum, tanquam solas, tanta coercitione, quanta diuortium, dignas. Atque ita factum est, ut longum per tempus Romanae vxores castitatis et abstinentiae laude celebrarentur.

tur. Quod autem ad sanctionis poenalis constitutionem attinet; quam Romulus posuerat, circa eam duodecim tabularum conditores quaedam immutasse, nonnullis DD. videntur. Dicunt scilicet, eadem quidem arma, quae Romulus marito, vxorem in ipsa turpitudine, *et uxori* reprehendenti, in manus dedisset, contra uxorem et adulterum. Decemniros ei eripere ausos non esse; sed si repudium uxori miserit, tunc meliorem mitioremque, quam ex Romuli lege esset, uxoris fecisse conditionem. Romulum enim diuortio facto, omne, quod dotis nomine illatum erat, h. e. omnia uxoris bona, quippe omnia dotis loco afferebat, apud maritum manere iussisse: hoc autem lege XII. mutatum videri, et diserte Vlpianum dicere, Fragn. VI. §. 12. si propter grauiores mores diuortium factum, sextam dotis partem, et in singulos liberos sextam, sed non amplius, quam tres sextas, h. e. dimidiam dotem, propter leuiiores autem octauam lucrari maritum. Ut hanc autem falsam opinionem existimem, plurimae me mouent et permouent rationes. Tradit enim Vlpianus in hoc loco ius non solum decemuirali lege, verum etiam Plauti temporibus recentius. Statim enim de poena mariti subiicit, si propter eius mores grauiores uxor ei repudium remiserit, quod vel ob grauissimos Plauti aetate uxoribus non licuisse constat. Ex lege igitur XII. vniuersam dotem lucrabatur maritus: dotis autem partis retentio recentioris iuris est. Vnde autem haec retentio certae partis dotis originem traxerit, de eo certi nihil affirmare sustineo. Ex legibus eam esse, Theodosius Iunior Nov. tit. 17. de reptudiis affirmat: Boethius autem in L. VI. segm. 47. p. 649. ad Ciceronis Topica eam ex verbis formulac actionis rei vxoriae, *quod aequius melius*, cui etiam Alexander ab Alexandro subscriptibit, dedituc. Quoniam autem definire, quot partes propter mores maritus retinere possit, Iureconsulti officium excedit, cuius non condere leges, sed conditarum sensum ad facta applicare est, hanc particularē dotis retentionem non ex Iureconsultorum interpretatione, sed lege aliqua descendere arbitror, duodecim tamen tabulis recentiori. Alexander autem ab Alexandro L. VI. Dier. genial. c. 10. omnia miscit. *Viro quoque, inquit, ab uxore diuertere, nisi causa legitime cognita, eidem tabulis vetabatur: que diuortio nulla uxoris culpa subsequito, dos integra repetebatur, si vero cuius inesset, usque ad dimidium dotis in singulos liberos sexta a marito retine-*

retinebatur. Interdum si diuortium fieret, quod aequius melius esset, opus virum manere, quod vero non esset aequius melius, id uxor post diuortium vindicare iubebatur. Quanquam autem Alexander alias satis diligens et probatus sit scriptor, tamen eius sententiam recipere non possumus, quod nullam fecerit mentionem, qua auctoritate munitus haec de XII. scriperit: non maior enim illi fides esse potest, quam aliud Grammatico, cui nulla, nisi sententiae suae auctoreum laudet, vel authenticae, nisi cum fonte conueniat: ex Vlpiano haec sumissi videatur; sed quoniam Vlpianus ad Legem XII. plane nihil afferit, sed recentius ius commemorat, etiam Alexandro, qui ex male intellecto Vlpiano hanc dispositionem XI. tabulis adscriptis, hoc loco nulla fides concedenda est. Manet igitur, omnem dotem facta diuortio etiam post XII. tabulas marito in lucrum cessisse. Atque ita aliquo modo, quantum fieri potuit, demonstrauimus, per decemviralem legem Romuleam mutatam non esse. Verum totus hic locus coniectura rum plenus fuit: sed necessitate coacti id fecimus, quapropter et iam quam facilime, relictis omnibus his coniecturis

moniti meliora sequamur.

Sed iam noua exoritur quaestio. Decemviri, etiam si integrum regiam legem receperint, an nihil noui adiecerint? Si sana esset atque genuina Vrsini lex restituta, solemnitates in diuortiis adhiberi solitae, ex Lege XII. venirent. Nec desunt DD. qui id statuant: sic v. c. hanc opinionem Marcilius in Interpretamento ad XII. prae se fert. Omnes enim solemnitates ordine commemorat, atque tanquam ex illa originem trahant, ad singulas laudatis Legibus iuris Iustiniane decemviralem egregie, si placet, illufrat. Sed in unius verso isto Commentario multa potius, quam bona protulisse, et plebraque non adhibita subtiliori diligentia conscripsisse mihi videtur. Verum qualis esset haec restitutio, nempe Vrsini ingenio nata, iam satis superque explicauimus. Nullae plane solemnitates in diuortiis, si cognatorum consilium exceperis, ex antiquis legibus deriuari possunt, sed omnes ex iure ciuili sunt, i. e. media ista Iurisprudentia, quae Iurisperitorum auctoritate interpretationibus et cautionibus constabat. Nominatum enim affirmat Gellius IV, 3. ante Carthaginianum diuortium nullas in romana republica actiones rei vxoriae, nullas cautions fuisse: sed post illud demum, eas omnes, quas Iurisconsultorum adiuuerterit solertia, natas esse. Non enim conten-

ti contrario, quam quo contracta erant, modo rursus distrahi matrimonia, et confarreationem diffarreatione, coëmptionem remancipatione solui, usurcationem denique usurpatione interrupsi, Cf. Landi Exercit. in Ottonis Thesaur. T. III. p. 1419. solemnia quoque verba conceptum que formulam, que maritus uxorem res suas sibi habere vel agere iuberet, uxor autem se mariti conditione non amplius vti diceret, cf. Brissoni de formulis Pop. Rom. Apuleius in Asino Aureo p. 96. et ibi Beroaldus, adhiberi et sine hoc fatali carmine nullum ratum diuortium esse voluerunt; varios que ritus, quibus solutum matrimonium significaretur, intenerunt. Quemadmodum enim nouiter nupta domum deducebatur et simul cum clavis omnium rerum domesticarum cura et custodia ipsi tradebatur, ita deinde repudiata domo exire et claves reddere, in signum sublatiae communionis bonorum atque sacrorum iubebatur. Et nuptiales rumpere tabulas, Cic. Verrin. II. c. 28. Tacit. Annal. XI. 30. et per nuncium et libertum et libellum repudium mittere uxori solebant. Quibus deinde solemnitatibus septem testium numerum addidit lex Julia. Recenset has atque alias solemnitates elegantissime, atque illustrat veterum Scriptorum auctoritatibus Heiniccius in Antiq. App. I. c. 1. p. 311. Sufficiat, nobis earam tantum, quia res ita postulabat, mentionem fecisse. Sed iam etiam satis sit disputatione de his antiquissimis legibus. Id enim iam disquirere animus non est, vtrum istorum temporum sanctimonia et mulierum romanarum virtute, an harum legum excellentia factum sit, vt ante XII. tabulas et longo post eas tempore interiecto, nullius diuortii apud historicos exemplum memoria proditum reperiatur. Illis enim temporibus nulla plane diuertia exitisse, propterea credibile non est, quod peruersi plerumque mores, optimis reipublicaeque saluberrimiis legibus occasionem dedere, neque facile ignoto morbo medicina reperiatur. Sieut enim ante morbos necesse est cognitos esse, quam remedia eorum, ita quoque cupiditates prius natas, quam leges, quae iis modum facerent, auctor est Liuius L. XXXIV, c. 4. Quanquam autem non sustineam, eam decemviris negare sapientiam atque prouidentiam, vt etiam nullo praeteriti temporis exemplo moniti, reipublicae salutari lege etiam in futurum proficere voluerint: laudat enim Cicero L. III. de Legibus hanc in primis in his nouarum legum conditoribus virtutem, admirandum, inquit,

*Inquit, maiores tantum in posterum prouidisse: tamen magis Graeci legislatoris placet prudentia, qui nullam volebat scribere legem ad coercendum scelus, cuius nomen adhuc ignorarent ciues, ne eius committendi cupiditatem excitare voluisse videretur.*

## §. 8.

*Diuortiorum cura Censoribus demandata. Carvillianum diuortium. Diuortiorum frequentia.*

Datum erat hocce Censoribus officium, vt cum Censum institerent, simul in domesticas ciuium rationes inquirerent, in celibes animaduerterent, impositaque pecuniaria poena, quod auctore Festo vxorium vocabatur, eos ad vxores ducentas compellerent: qui autem iam haberent vxores, concepta formula, num ex animi sentientia haberent, interrogarent: Cic. de Orat. II, 64. Gellius IV, 20. denique si diuortium factum reperirent, huius rei causas, et quaerere et num legitimo modo factum examinarent: qua in re tanta eorum erat seueritas, vt virum non ignobilem L. Antonium, quod vxorem non conuocato cognatorum consilio a se diuertere iussisset, ab iis Senatu motum, apud Valerium Maximum II, 4. memoriae proditum legamus. Reipublicae scilicet interesse videbatur, nihil temere, sed omnia legitimo modo peragi in negotio, in quo et summa reipublicae salus verfaretur, et quod reprehensione raro caret. Non improbabilis est conjectura Raeuardi in Varior. L. IV, c. 13. apud Cenfore olim de maritorum atque vxorum moribus litigari confueuisse. Sponsalitias certe et malae tractationis actiones ad eos pertinuisse constat. Graeci iuris dispositionem huic rei occasionem dedisse facilis est conjectura. Erat autem apud Graecos populos certus magistratus constitutus, qui causarum matrimonialium curam gerebat, quae ab Romanis in Cenfore collata mihi videtur. Id vt exissimem, Ciceronis me mouet autoritas, qui L. IV, de republica scribit: *nec mulieribus praefectus praegonatur, qui apud Graecos creari solet, sed sit Censor, qui viros doceat moderari uxoribus.* Ita scilicet ista vniuersa Ciceronis de republica disputatio comparata est, vt ex romana ciuitate, ea quae probaret, in suam Platonicam transsumere non dubitaret: quae cum ita sint, ex hoc ipso loco probari quam clarissime poterit, re vera hauc Censoribus matrimoniorum

inspectionem atque diuortiorum curam demandatam fuisse. Illud  
atris est locus ex Catonis de dote oratione apud Gellium L. X. c. 23.  
ab omnibus interpretibus male vexatus. *Vir*, inquit, *cum diuortium  
fecit, mulieri iudex est pro Censore.* Audacissima est emendatio Scipionis Gentilis, quam Parergor. L. I. c. 21. p. 55. profert: *pro iu-  
dex legere iubet m. dec. h. e. mensis decem.* Vana et inutilis est Lipsii interpretatio Var. Lect. L. I. c. 13. Si quae alia Hoffmanni  
in Comm. ad L. Iul. de adult. placuit explicatio, et facilis et mode-  
sta et elegans est: *is scilicet pro iudex index reponit et vniuersum lo-  
cum ita interpretatur, vt dicat, virum facto diuortio, apud Cen-  
sorem vxoris mores accusare atque rationes indicare, quare diuor-  
tium factum sit: eo scilicet consilio, vt suam causam defendat, vxo-  
remque diuortio occasionem dedisse probet.* Verum si hanc inter-  
pretationem probamus, nulla opus emendatione: eodem res redit,  
fusse iudex, fusse index legere malis: modo iudicis vocabulum non  
stricto, non legitimo, sed populari accipiatur sensu, vt iudex sit, qui  
de aliqua re sententiam suam proponat. Sed iudicis vocabulum ni-  
hil plane difficultatis habere videtur: *quid sit pro Censore, quaeritur.*  
Pro Censore, explicat Hoffmannus, apud Censem. Sed cui hoc  
non durum, et ab omnis elegantioris latinitatis ratione alienum? At  
forte non ab Catonis ingenio? qui duriores loquendi formulas ama-  
bat. Sed nihil opus nec vlla emendatione, nec interpretatione in-  
geniosus; res plana est. Ait scilicet Cato, maritum, cum facit di-  
uortium, vxoris esse iudicem et tanquam Censem de eius iudica-  
re moribus. Multum difficultatis vocabulum *fecit* adiecit huic loco,  
quod omne tollitur, si auctoritati quorundam Mysitorum fidem ha-  
bemus, qui *facit* reponunt. Facto enim diuortio, maritus non am-  
plius iudex vxoris esse, nec quicquam in eam imperii habere potest,  
sed eo tempore, quo facit diuortium, iudex vxoris pro Censore est.  
Per quingentos amplius annos nullum Romae diuortii existisse  
exemplum, auctor est Gellius L. IV. c. 3. nullaque ante id tem-  
pus aut actiones aut cautiones rei vxoriae in vsl fuisse: Caruili de-  
nique Rugae omnium omnino diuortiorum in romana ciuitate pri-  
mum. Sed in hoc diuortio omnia incerta sunt. Gellius L. IV. 3.  
et XVII. 21. rem ita refert. Caruili, coactum ab Censore, iu-  
rasle, se non nisi liberorum quaerendorum causa vxorem habiturum  
proptereaque statim, ne peierasle videretur, carissimam vxorem, opti-  
man,

man, castam, modestam, sed sterilem a se dimisissae: eius tamen rei causa non potuisse effugere omnium ciuium odium, quod maiorem habuisset iuris iurandi, quam matrimonii religionem. Paulo aliter rem commemorant Dionysius, Plutarchus, Plinius atque Valerius Maximus, adeo, ut fere nulla in re inter se conueniant. Etenim nec de diuortii causa, quam alii iuris iurandi religionem, alii ~~atextu-~~  
~~as~~ faciunt, nec de anno constant, atque etiam de eo, an hocce diuortium omnium primum, disputant. Sed haec omnes questio[n]es neque ad nos pertinent, qui non diuortiorum, sed iuris diuortiorum historiam scribere consituimus, neque facile componi possunt, ob veterum auctorum dissensum. Ita enim plerumque inter recentiores DD. lis oritur, quando veteres scriptores rem diuerso modo commemorant, et eorum quisque pro suo ingenio et eo fauore, quo veterem auctorem prosequitur, suam defendit, contrariam impugnat sententiam. Hoc vnum tamen addam, me a me ipso hoc impetrare non posse, ut hocce Caruillianum diuortium omnium plane diuortiorum primum reputem. Ea enim argumenta, quae ab antiquorum temporum morumque castitate et sanctimonia, et ab auctorum silentio, et in commemorando primo diuortio diligentia ducuntur, non maximi ponderis sunt, leuique distinctione, quam prolatus sum, tolli possunt. Neque audiendi sunt DD. qui ante illud tempus ullum diuortiorum usum fuisse negent, propter legum severitatem, quae morte vxores mulierandi potestatem maritis concederint. Haec enim potestas, quomodo esset intelligenda, iam supra a nobis disputatum est. Scilicet si in ipsa turpitudine deprehenderet vxorem, tunc iusto dolori atque calor[i] mariti indulgebant leges, atque impudicam etiam interficere permittebant. Neque mihi probatur Morini sententia; qui in Diss. p. 123. putat, diuortiorum usum tantum in adulterio, si incerta adessent indicia, fuisse, fin autem manifesta, tunc poenae capitalis. Si autem grauiori poena vxorem coercere licuit, quare non etiam leuius animaduertere? Sed haec Morini distinctio nullo nititur fundamento. Denique diuortiorum frequentia, quae hocce Caruillianum statim sequuta est, de istorum temporum nimis magna castitate satis mediocrem nobis prodit conjecturam. His igitur de causis receptam sententiam non recipio, neque Caruillianum diuortium omnium primum reputo. Iam autem si, quod sentiam, libere dicere

dicere licet, existimō, fuisse Caruilius Rugae diuortium p̄imum, quod alia, quam quae legibus permisla, fieret de causa. Leges nempe, vt supra docuimus, non nisi propter adulterium et viui haustum diuorta permittebant. Caruilius autem primus propter nouam causam anteaque plane inauditam, sterilitatem nempe a se diuistit vxorem: quam diuortii causam, quanquam primo omnes Romani ciues adeo improbarent, vt Caruilius omnium odium ea sibi contraheret, tamen sequentibus temporibus valde adoptarunt, quippe quae cum populi Rōmani, cui summum liberorum procreandorum studium, voto optime conueniebat: multique deinceps mariti vxores, quae parere nescirent, foras res suas agere iussierunt. Eiusmodi exempla habes apud Tacitum Ann. XIV. c. 60. Sueton. in Neron. c. 35. Statim autem post hocce Caruiliatum diuortiorum tanta fese nobis offert frequentia, quae in historicorum libris vtramque implet paginam, vt si quis ea omnia velit commemorare, vix finem inueniat. Etenim mariti cum viderent, impune, etiam ob aliam, quam lege permislam, causam, vxorem a se repellere licere, plures et saepe leuissimas excogitarunt causas. Ita Sulpitius Gallus, quod e capite detraicto tegumento in publicum prodūset, et Publius Sempronius, quod eo inuito ludos funebres spectasset, vxores dimisere. Perditis deinde illis reipublicae temporibus, quibus sua cuique libido pro lege erat, infinita plane diuortiorum multitudine. Neque amplius praeter voluntatem diuortii titulum edebant. Iam sceleris suspicio graue scelus videbatur, Sueton. in Iul. c. 74. et de industria perditū iuuenes male moratas modo diuites ducebant vxores, vt eas dote propter mores spoliarent. Auctis enim in tantum ciuitatis opibus et potentia, ciuium quoque vitia aucta et prodigalitas: nam quo plus rerum, tanto etiam plus cupiditatum: nec quid aliud amplius, quam acquirendi modus diuortium videbatur. Faciebant scilicet diuorta matrimonii, et matrimonia diuortiorum causa, vt de dote ales alienum, quo premebantur, exsoluerent: a quo crimine ne ipse quidem Cicero se abstinuit. Cf. Corradus in Quaestura Ciceron. p. 212. et Fabricius in Vita Cic. ad annum Ciceron. LXII. Hicce temporibus eadēna vxoribus, quae viris, diuortendi licentia, adeo vt essent foeminae, quas non Consulū nomine, sed diuortiorum numero annos numerare non puderet. Saepissime vero etiam bou-

bona discedebant gratia, ut integrum feruarent dotem, atque etiam donationem propter nuptias secum auferrent.

## §. 9.

*Historia iuris diuortiorum ex Lege Iulia de adulteriis coercendis.*

Augustus cum videret, quam perniciosa esset diuortiorum nimia libertas atque frequentia reipublicae, quam ciuilia bella et coloniarum deductiones tot millibus ciuium spolarant, eam saluare esse non posse, nisi huic malo modus poneretur, sapientissime iudicauit. Tulit eo consilio duas praestantissimas leges, Legem Iuliam de adulteriis, atque Legem Iuliam et Papiam Poppaeam de maritandis ordinibus. Atque hisce legibus tanquam morum magister, quanquam ipse non ab omni sceleris et impunitatis reprehensione liber esset, castitatem et sanctimoniam in Romanorum aedes atque thalamos reducere, atque rempublicam bonis, multaque prole florentibus ciuibus ornare, iuuenium autem mores, qui legitima matrimonia fugiebant; scortari atque adulteriis aliorum thalamos violare non amplius turpe existimabant, corrigere voluit: quam parum autem huic consilio euentus responderit, eorum temporum annales, et satis numerosa scelerum memoria et diuortiorum frequentia docent. Ex duabus hisce legibus ea tantum delibavimus capita, quae ad illustrationem nostrae iuris diuortiorum historiae pertinent; reliqua missa faciamus. Primum de Lege Iulia de adulteriis videamus. Ea lata est a. DCCXXXVI. vel initio a. DCCXXXVII. vid. Hoffmann. p. 52. Fuit haec lex quasi praeparatoria, qua sibi Augustus viam munire volebat ad perferendam alteram legem de maritandis ordinibus, quam antea perferre irrito tentauerat, et quam deinde interiectis multis annis aegre pertulit. In tanta enim adulteriorum, scelerum et turpitudinum frequentia quisque longe optimum existimabat, nullam plane ducere vxorem, neque in hos incidere coniugii scopulos; proximum autem, si quis vxorem duxisset, eam quam primum a le diuortio dimittere, atque ita, tanquam ex incendio fortunae famaeque effugere. Erant igitur primum haec matrimoniorum impedimenta Augusto tollenda, erant adulteria et scelera reprimenda, antequam ad matrimonio

nia

nia contraeunda Romanorum suorum animos' allicere, et firma connubia sperare posset: atque hoc ipsum hac lege efficere studebat. Illustrarunt hanc nostram Legem Iuliam suis Commentariis Papinianus, Vlpianus et Paulus, ex quorum fragmentis ipsum contextum et capita legis restituere non incassum laborarunt Bar-nabas Brissoni et Io. Guil. Hoffmannus. Haec igitur lex adulteriorum in primis coercitionem et publicam poenam spectabat, a qua re etiam legis Iuliae de adulterio coercendis nomen eam fortitatem esse, tralatitium est. Ita autem Augustus in hac lege consti-tuenda versatus est, ut primum de publica poena fauiciret, deinde de priuata quoque vindicta prouideret. Placuit autem eos, qui de adulterio coniucti essent, relegationis et publicationis partis bonorum et dotis poena afficeret. Iis enim temporibus adulterii poenam nondum capitalem fuisse, quamquam severioris, sed extraordinaiae poenae in ipsa Augusti historia non desint exempla, egregie demonstrauit Ger. Noodt in Dioclet. et Max. c. 15 sqq. Ad priuatam autem quod attinet coercitionem, patri, tanquam iudici domestico, illud ius, quod antiqua morum severitate ipsi competebat, interficiendi adulterum, confirmavit, modo eum in domo sua, generue sui, et in ipsa turpitudine deprehenderet, et eodem ferro quoque filiam, quam vel adhuc in potestate haberet, vel saltem eo tempore, quo eius auctoritate in mariti manum veniret, habuisset, interficeret. Coll. LL. Mos. et Rom. Tit. IV. §. 2. et 7. Nihil igitur eum hic noui constituisse, sed antiquum tantum modo ius confirmasse, apparet, vid. Bynckershaeck de iure occidendi liberos L. I. c. 3. Aliud autem consilium sequutus est in marito. Cum enim patri permitteret, adulterum interficere, arbitratus est, eum non hoc temere facturum, cum ad effugientiam poenam legis Corneliae de sicariis, ne homicidii reus fieret, necessario quoque eodem ferro in filiam ruere deberet, sed naturalis potius amoris et paterni animi rationem quam iracundiae habiturum. Eadem autem ratio cum in marito non reperiatur, in eo alia omnia constituit. Acerbior in eo domesticae iniuriae dolor est, et gravior viri in vxorem, quam patris in filiam amor solet esse in iracundiam versus. Nonnihil igitur de antiquo mariti iure detraxit. Primo igitur tantum permisit, marito interficere adulterium, si eum in sua domo, non saceri, et in ipso facto deprehenderet. Deinde non

non contra omnes eadem arma dedit, sed tantum contra quasdam inferioris generis personas, quas Paulus recenset: si vero talis esset persona, quam vel non vellet, vel non liceret interficere, eam non amplius XX. horas diurnas nocturnaque domo inclusam retinere permisit, eius rei testandae, hoc est, fidem iudici de commissio adulterio faciendi causa. Vxorem autem ipsam interficere plane prohibuit, sed eam statim dimittere, eamque rem intra triduum ad iudicem deferri iussit. Paulus in Rec. Sentent. L. II. c. 26. L. 24. D. ad Leg. Iul. de adult. Statuit tamen Papinianus, virum, qui vno ferro, vno eodemque istu adulterum et vxorem, in ipsis rebus Venereis deprehensor, interfecisset, quanquam iniuste et contra leges, quippe quae hanc potestatem ei non concedant, fecisse videatur, tamen poena legis Corneliae de siccariis ob fauorem iustissimi caloris non teneri, sed leuiorem poenam, vlique ad exilium incurrire, apud Pariatorem LL. Mof. et Rom. Cap. IV. §. 10. L. I. §. 5. D. ad Leg. Cornel. de siccari. Idem quoque Papinianus Responsor. Tit. XXVI. nobis auctor est, antiquam potestatem marito per Nouellam Imperatoris Maiorani reflectutam esse. Hoc igitur pacto ea potestas, quam elim maritus, tanquam paterfamilias, suaeque familiae princeps, vel ex antiquis moribus, vel per in manum conuentionem, de vxoris, quae in suam familiam transierat, vita et nece iudicandi habebat, ab Augusto limitata est, nec ei amplius liberum relictum arbitrium, utrum eam tantum diuortio, an potius morte multare vellet, sed eam necessario a se dimittere debuit, neque eam in matrimonio retinere, neque repudiatam reducere licuit, nisi lenocinii accusationem incurriere, atque in legis Iuliae poenam incidere vellet: Paulus I. I. §. 8. cui non obstat L. 13. §. 9. D. ad L. Iul. de adulter. quippe ad abolitionem, quae nihil ad nos, pertinet. Ita igitur Augustus adulterium legitimam esse diuortii caufam voluit: de reliquis autem diuortendi causis nihil in hac lege Iulia, quippe quae ad sola adulteria et turpitudines coercendas comparata erat, constituisse videtur. Attamen ut in vniuersum frequentia diuortiorum modum poneret, vllum diuortium neglecta solenni septem testium ciuium Romanorum adhibitione ratum esse; hac lege prohibuit. Atque haec est illa solemnitas, quam Marcius in Interpretamento ad XII. decemuirali, Godofredus autem legi

Papiae Poppaeae adserere conati sunt: quorum neuter verum vidit: ex lege enim Iulia de adulterii descendit. Patet id ex L. un. D. vnde vir et vxor. Distinguunt scilicet in ea lege Vlpianus legem Papiam et legem Iuliam, et quid in utraque fuerit constitutum, refert. Ait lege Iulia de adulteriis, diuortium pro infecto haberet, nisi certo modo factum sit, et videri adhuc constare matrimonium, attamen ex edicto Praetorio vnde vir et vxor, illegitime repudiataam vxorem bonorum possessionem petere non posse, neque hanc successionem locum habere. Et Caius L. III. ad XII. in L. 43. D. ad L. Iul. de adulteriis affirmit, matrimonium adhuc constare, si repudium ex lege missum non sit; per legis autem vocabulum, quod iam supra monui, legenti Iuliam intelligit, ad cuius interpretationem hocce Caii responsum retulit Tribonianus. Denique quod ipsa legis dispositio habetur apud Paulum L. 2. de Adulteriis, ex eo sententiae meae ponderis aliquid accedere arbitror. Sed iam ipsa legis verba considerare, et quid in iis contineatur, paulo accuratius explicare iuuabit. Habentur in L. 9. D. de diuortiis: *Nultum diuortium ratum est, nisi septem ciuibus Romanis puberibus adhibitis, praeter libertum eius, qui diuortium faciet.* Sine testimonio adhibita solemnitate legitimum facere diuortium per legem nostram ius non est: eandem rem confirmat L. vn. D. vnde vir et vx. L. 43. D. ad L. Iul. de adult. L. 35. D. de donat, inter vir. et vxor. Huius dispositionis ratio in eo inest, quod publice interesse videbatur, vt constaret, vtrum diuortium vere factum esset, annon, propter insanam diuertendi et reuertendi licentiam. Saepius scilicet vnu euenerat, vt non legitimo modo facto diuortio, nullis adhibitis solemnitatibus, deinde de capite atque fortuna ciuiis gravissima moueretur quaestio, in qua diiudicanda diuisae ICTORUM reperiebantur sententiae, cum quidam nouis nuptiis prius matrimonium sublatum statuerent, quidam autem, non nisi certis formulis atque solemnitatibus diuortium rite fieri posse existimarent. Habet tale exemplum Cicero in de Oratore L. I. c. 40. Patrum suorum memoria factum esse commemorat, vt paterfamilias, qui ex Hispania Romanam venisset, cum vxorem praegnantem in prouincia reliquisset, Romae alteram duxisset, neque priori nuncium remisisset, mortuusque esset intestato, et ex utraque filius natus esset, haec res deinde in controversiam ducta, atque de duobus ciuium

civium capitibus, et de pueri, ex posteriore nato, eiusque matre, an pro concubina habenda, quaesitum esset. Ad tales igitur controversias cuitandas, nullum amplius diuortium, sine solemnitate factum, ratum esse voluit, atque hanc solemnitatem in testium adhibitione posuit: plures denique testes praefentes esse eo consilio iussit, ut totidem quoque animi leuitatis adessent iudices, si ob leuem causam discederent, quo nimiam diuertendi licentiam optime se reprimere posse arbitratus est, cum viderent, qui ob tenuem causam discessum pararent, non sibi defuturos, qui animi inconstantiam atque cupiditates accufarent. *Septem esse* debebant; quippe septenarius numerus apud Romanos receptus erat in negotiis, quae solemnitatem involuerent: *iues Romani*, quibus testimoniorum dicere permisum, in quem numerum neque ii veniebant, quibus hoc lege interdictum, v. c. adulterii damnavi, ex hac ipsa lege Iulia, neque impuberis, quod animi grauitas atque maturitas in testimonio spectatur, §. 6. Inst. de Test. ord. *rogati*, ut in testamentis, quantum id ex verbo *adhibitis*, ut quibusdam visum est, colligi non possit, cum potius ex reliqua testis conditione intelligatur. Libertus in hunc septem testium numerum referendus non est, quippe is in tali causa testis esse non potest. Diserte enim *Cinicus Rufinus L. 2.* Regularum in L. 6. D. de testib. scribit, eum idoneum testem non videri, cui imperari possit, ut testis fieret. Septem igitur adesse debent testes *praeter libertum*, cui in hac solemnitate suae quoque adsignatae partes erant, manu scilicet repudiis tenebat libellum, diuortium nunciabat, atque solemnne carmen recitabat. Denique nihil differebat, ut diserte Paulus in L. 9. D. de diuort. explicat, siue libertus esset eius, qui diuortium faciebat, siue patris siue eius. Ipsum autem diuortium non nisi manus vel pater eius mittere solet, L. 8. D. de diuort. non tertius, quantum id fecerit Caligula. Sueton. in Cai. c. 36.

## §. 10.

*De diuortio libertae prohibito, ex lege Papia Poppaea.*

Altera lex, qua Augustus diuortiis modum posuit, fuit lex Iulia et Papia Poppaea, in quam omnes priores Iuliae rogationes

sunt collatae. Contigit huic legi post Godofredum et Brissonium Ill. Heinecius interpres, qui ipsius contextus verba ex Veterum ICTorum fragmentis eleganter restituit, commentarioque locupletissimo doctissimo illuftravit et ornauit. Perlata est post multas altercationes sub finem anni DCCLXII, rogantibus populum M. Papio Mutilo et Q. Poppaeo Secundo Consulibus suffectis, quos Kalandis Iuliis fasces fumissile constat ex Dione Lib. LVI, p. 578. et fragmento faſtorum Capitolinorum apud Gruterum p. CCXCV. et Pighio in Annal. p. XIX. Atque hi ipsi Consules, quippe coelibes, inuiti hanc legem, quae coelbatus poenas contineret, pertulerunt. Continet haec lex quaedam capita, quae, quoniam ad nostram diuortiorum historiam pertinent, a nobis inexplicata nec praetermittenda nec relinquenda sunt. Primum est de diuortio libertae prohibito. Reiecit hoc Heinecius ad caput legis XII. quamquam de ipso capitil numero nihil certi constitui possit, tamen Augustum in prima legis parte de ea re confituisse, ex eo apparet, quod et Vlpianus et reliqui veteres huius legis interpres in prioribus Commentariorū fuorum libris illud explicarunt. Ipsa legitima verba habentur apud Vlpianum L. III. ad Leg. P. P. in l. 11. D. de diuort. et l. 45. D. de rit. nupt. *Diuortii faciendi potestas libertae, quae nupta est patrono, ne esto, quamdu eam patronus uxorem esse volet.* Ad hanc legis dispositionem haec ipsa duo laudata Vlpiani fragmenta excellentem continent commentarium: nos vero etiam ea, quae reliquorum Iureconsultorum interpretatio protulit, quoniam de ea re ex professo agere, huius libelli forma non patitur, breuiter subiiciamus. Tribuitur in hac lege patrono potestas aliqua in libertam, quam ex patronatus iure non habet: verum cum soli patrono hocce ius tribuatur, diligenter videndum est, quis in hac lege patronus, et quae liberta dicatur, ne vel beneficium concedamus, cui id applicari lex non vult, vel priuilegium ei irrogemus, quae ab eo excepta est. Ait lex: *Libertae quae patrono. Libertum accipimus, qui ex iusta servitate manumisit est.* Meum autem libertum, auctore Paulo L. 9. D. de diuort. etiam eum intelligo, quem pater, avus, proauius manumisit. Nihil enim interesse videtur, vtrum ipse manumiserim, an pater, quoniam patronatus iura in liberos tranſeunt. Quod de liberto, etiam de liberta dicendum est. Quapropter recte affirmat Terentius Clemens

L. 48.

L. 48. D. de Rit. Nupt. filio patroni in paternam libertam ex legis sententia, idem iuris, quod patrono, accommodari. Si pater, plures relinquens filios, vni ex filiis libertam assignauit, tunc ille filius, cui assignata est, hocce legis priuilegio solus gaudet; neque is, cui assignata non est, si vxorem duxerit, quicquam ex hac lege habebit, quoniam non pro patrono, sed extraneo habetur, cuius conditionem lex, quae de solo patrono, non curat: quippe Senatus omne ius libertorum adsignatorum in eum transtulit, cui pater hoc tribuit. L. 48. §. 2. D. de Rit. Nupt. De communi liberta idem dicendum. Habet enim in eam alterius patroni filius idem ius, quod et ipse pater et alter patronus. Haec de liberta, quam pater manumisit: ab ea non differt, quae a filio iussu patris manumissa est, quam perinde haberit, ac si a patre ipso manumissa esset, Iulianus scribit L. 51. D. de Rit. Nupt. Ex his iam facile poterit colligi, quis legislatori patronus dicatur, nempe is, qui vel ipse, vel eius pater, vel filius, eius iussu, manumisit. At filiusfamilias, si de peculio castrensi emtam libertam manumisit, ipse patronus est, L. 3. §. 8. D. de bon. libert. L. 8. D. de iur. patron. non pater, cui plane nullum ius de castrensi filii peculio constituendi est, adeo, vt ne quidem, emtam de isto peculio ancillam possit manumittere, propterea, quod in eius familia esse, auctore Modestino L. 17. D. de manumission. omnino non putatur. Soli igitur filio omne hocce ius ancillam, tali modo emtam, et manumittendi, et in manumissam patronatus iura exercendi, diuortium denique praepa:tem ex lege retinendi, Vlpianus vindicat, patri autem competere negat, L. 45. §. 3. D. de Rit. Nupt. Si igitur pater libertam, ab filio castrensi peculio emtam, atque manumissam, matrimonio sibi luxerit, atque deinde illa ab isto inuito discesserit, nullum prohibendi ius habebit, quoniam patronus non est, neque eius beneficio factum est, vt ad libertatem penetraret. Huius enim rei praecipuum rationem habuisse legis conditorem, veteres Iureconsulti nobis auctores sunt. Quapropter mirifice falli eos manifestum est, qui hanc prohibendi potestatem pro effectu iuris patronatus venditant: plane enim nouum ius est hac lege et propositum et constitutum, quod non omnibus patronis applicandum, sed iis tantum, quos non exceptos videmus, in quem numerum ii omnes veniunt, qui non sua liberalitate manumiserunt.

Discitur id exemplis. *Liberta*, quae ex fideicommissio suam habet libertatem, ab iuinito patrono impune discedere, nouasque nuptias contrahere potest, neque contra eam ex lege nostra vel ullum ius, vel prohibendi potestatem patronus habet. Cuius rei elegantem nobis Marcellus L. III. ad Legem nostram in l. 50. D. de Rit. Nupt. prodit rationem: *proto*, inquit, *quia non ferendus is, qui necessitate manumisit, non suo arbitrio, magis enim debitam libertatem, quam ullum beneficium in mulierem contulit.* cf. l. 44. D. fideicommiss. libert. Etiam si igitur negari non possit, eum verum patronum esse, quia fideicommissariam tribuit libertatem, tamen nulla ipsi ex hac lege erit contradic<sup>tio</sup> contra libertam, thalamum coniugalem eo iuinito deferentem. L. 10. D. de diuort. Ab fideicommissaria libertate non multum ratione concedentes differt ea, quam quis pretio accepto libertate concessit: quapropter neque hoc loco patrono legis beneficium concedendum esse arbitror. In utroque enim exemplo eadem ratio mouet. Qui fideicommissariam concessit libertatem, id non beneficii tribuendi consilio, sed necessitate coactus fecit: qui accepto pretio ad manumittendam libertam deductus est, propter numitorum cupiditatem, non propter liberaliter animum manumisisse videtur. Neuter igitur horum aliquid tribuisse, sed debitum tantum exsoluisse dicendus et propterea ad legis beneficium percipiendum idoneus non est. Vix opus est disputare, quid de eo statuendum, qui ancillam non suis, sed alienis nummis emtam manumisit. Ex superioribus enim id facile intelligi potest, et nominatim quoque Vlpianus scribit, huic hanc legem applicandam non esse. L. 45. D. de Rit. Nupt. Longe autem alia ratio est, si quis suis quidem nummis, sed ea conditione, vt manumitteret, emit: quia manumissa emtoris habetur et re vera libertas beneficium tribuit. Si res dubia est, atque incerta vtrum quis re vera patronus sit, an non, quanquam iurauerit, se esse patronum, tamen pro liberta ob causae fauorem, arg. l. 25. de stat. hom. et l. 56. D. de reg. Iur. pronunciandum existimat Vlpianus in d. l. 45. §. 1. quoniam ius iuriandum patronum non facit. L. 14. D. de iure patron. Quid si vero accesserit iudicis sententia? Tunc pro vero patrono habendum esse, atque ex lege nostra recte contra libertam agere posse arbitror: res enim iudicata pro ipsa veritate accipitur. Cf. L. 207. D. de reg. Iur. quae ex ipso Vlpiani ad hanc legem Com-

Commentario est, et ad hunc locum pertinet; quod egregie demonstravit Godofredus in Commentario ad regulas Iuris p. 795. Si duo patroni communem ancillam manumiserunt, utriusque patronatus iura integra tribuenda sunt, quippe quae nullam diuisionem recipiunt. Si igitur alteruter patronus hanc libertam in suos recepit thalamos, ab eo inuitio discedere non poterit, sed maritus habebit ius eam retinendi, quoniam ut Caius in L. 46, D. de Rit. Nupt. recte philosophatur, negari non potest, eius esse libertam, quamquam contraria sententia Iauoleno placuit, propterea, quod eius liberta proprie non videatur, quae etiam alterius sit. Verum haec Iauoleni sententia neque fatis vera est, neque in foro recepta. Quae enim communis esse potuit ancilla, quare non etiam communis liberta esse possit, non video. Defendi quidem posset Iauoleni sententia, si patronatus iura aliquam tribuerent potestatem, propterea quod nemo in duorum potestate esse intelligitur: sed liberta per manumissionem exiit ex potestate dominorum, patronorum denique iura, reuerentiam et praefestationes spectare, nullam autem potestatem tribuere, tralatitium est. Quae quum ita sint, potior omnino erit Caii opinio, et quamdiu alteruter patronorum communem libertam vxorem esse volet, neque ei licet repudium remittere, neque cum vlo alio connubium erit, quare cuicunque nupserit, pro innupta habebitur. Quod adeo verum est, vt ne alteri quidem patrono les hoc loco concederit praecipui quid, neque ei magis, quam extraneo, libertam, quae ita inuitum priorem reliquerit patronum, in thalamum recipere permiserit, immo affirmauerit Julianus, referente Vlpiano in L. 11. fin. nec in concubinatu alterius patroni eam esse posse: cuius legis sententiam non recte perceperisse Haloandrum video, qui pro alterius patroni, alterius quam patroni legendum esse somniauit. Vehementer male. Etenim libertam etiam in alterius quam patroni concubinatu esse posse, tam certum est, vt qui id probare vellet, operam in re certissima probanda perderet. Cui enim cunque in concubinatum se dare potest, si autem in patroni se dat, id sine iactura matronalis honoris facit, si in extranei, alia res est. Neque loquitur Julianus de libertae iure concubinatus, vt Haloander accepit, sed de communi liberta, patrono nupta, abitum ab inuitio patrono eo confilio parante, vt se alteri patrono in matrimonium dare possit: atque huic negat vnum connubium ius esse, immo ne quidem in alterius patroni

con-

concubinatum se dare posse: hoc enim vocabulum *amplius*, quod fortioris correctionis est, indicare videtur. Si igitur, ut dixi, accipitur Iuliani responsum, nullam esse et vanam Haloandri vel emanationem vel interpretationem appetet. Atque hoc primum est ut qui libertam, ab se inuito discedere volentem, ex hac lege Papia Poppaea impedire velit, quo minus discedere possit, et verus patratus sit, et ex sua liberalitate manumissam teneat: tali enim patrone soli officium suum lex praestat. Secundum est, ut etiam liberta legitimo matrimonio patrono sit iuncta. Qui enim contra leges maritus est, atque duxit vxorem, quam per leges ducere non potuit, ex hac lege nullum beneficium capere potest: quod iam vidit Terentius Clemens L. VIII. ad h. l. in l. 48. §. 1. de Rit. Nupt. Requiritur igitur, ut libertae atque patrono ius connubii sit, neque nullum repletar in vitroque impedimentum, quo minus legitimas nuptias celebrare possint. Eiusmodi est in liberta, si non ciuius Romana, sed Latina vel dedititia, hoc est, non optimo iure per vindictam vel censum manumissa est. Haec scilicet sola ius connubii habet, cum non nisi inter ciues legitimae celebrari possint nuptiae. Inst. L. I. tit. IX. Vlpian. Fragm. V. §. 4. Qui igitur libertam matrimonii causa manumitteret, ut optimo iure libertate donaret, necesse erat, quoniam alias eam legitimam matrimonii vinculo sibi iungere non poterat. Aliud impedimentum est in ipso patrono, cuius exemplum ex ipsa lege peti potest. Scilicet de patrono Senatore, Senatoris filio aut nepote, quibus interdictum, libertam habere in matrimonio. Vnde iam inter veteres Iureconsultos quaesitum est, num liberta, patrono Senatori nupta, ab eo inuito discedere possit? quoniam per leges non eius legitima coniux esse possit. Evidenter puto, eam discedere posse, neque patronum, quamdui Senator sit, quo minus in alienum thororum transeat, nullum contradicte adi vel impediendi ius habere: si autem desierit esse Senator, atque Senatus motus sit, tunc arbitror, cum amissa dignitate, simul, quod ipsi obserat, impedimentum, sublatum esse, et suo iure recte uti posse: iam enim ipsa in eam delatus est conditionem, ut libertam legitimam vxorem habere possit, cum id omnibus ingenuis liceat per l. 23. D. de Rit. Nupt. atque ipsa liberta, quam patronus maritali secum habuerat affectione, iam quoque legitima eius vxor esse incipit. Recte igitur Vlpianus L. III. ad h. l. in l. 27. D. de Rit. Nupt.

Nupt. affirmat, libertam in ea conditione esse, vt si patronus Senatoriam amiserit dignitatem, vxor eius esse incipiat. Aliter visum est de Senatoris filia, homini libertino nupta. L. 34. §. 3. D. de Rit. Nupt. Pater enim quanquam non amplius Senatoriam tueatur dignitatem, tamen eius filia liberto in matrimonium se dare non potest: quoniam noluerunt leges auferre liberis quae sitam dignitatem ob patris culpam. Manet igitur, quod aderat impedimentum, neque per paternae dignitatis amissionem sublatum videtur. Quae legis nostrae fuerit dispositio de matrimonio libertae et patroni, qui deinde ad Senatoriam peruerterit dignitatem, et quid de eo Iustinianus disposerit, id ex l. 28. C. de nuptiis discitur. Sapienter scilicet constituit Imperator, nouam dignitatem mariti superuenientem matrimoni firmati, quanquam iam in eum sit deductum locum, a quo incipere non possit, obesse non debere: ex quo colligi potest, ex lege Papia libertam discedendi habuisse facultatem, quoniam non amplius legitimum videbatur matrimonium. Haec de patrono Senatore. Reliquis ingenuis libertas, modo optimo iure manumissas et honestas, quaeque nullam in se aut turpitudinem aut ignominiam commiserint, aut corpore quaestum fecerint, aut in scenam prodierint, legitimas vxores ducere leges permiserunt. Etiamsi enim Romani illis temporibus toti essent in voluptatibus atque spectaculis, tamen nondum omnem seueritatis antiquorum morum sensum deposuerant, sed adhuc totam artem ludicram omnemque scenam in probro dueabant, propterea que omne id genus hominum non solum omni reliquorum ciuium honore carere, sed etiam aliqua nota leuitatis laborare, immo vt Cicero L. IV. de republica apud Augustinum de ciuitate Dei L. II. c. 13. auctor est, censoria notatione tribu moueri volebant. Solam igitur honestam libertam vxorem ducere liberalem hominem, ciuemque Romanum decere, reliquis conubium negandum esse leges statuerunt. Quapropter si patronus omnem adeo deposuerat verecundiam, vt ignominiosam libertam in suum thalamum deducere, religioni sibi non duceret, eam impune ab eo inuito discedere potuisse, dubium non est; matrimonium enim contra leges contractum, quoniam re ipsa nullum est, solui non videtur: atque id ipsum est, quod Iustus in L. 208. D. de reg. Iur. expresse negat, vinculum solui posse, quod nunquam fuerit colligatum. Nam si nullum neque in liberta neque in patrono deprehenditur impedimentum

tum, sed utriusque connubii ius est, vt etiam re vera nuptiae sint celebratae, necesse est, si patronus legis auctoritate uti velit. Simulatae enim nuptiae nullius momenti sunt. L. 30. D. de Rit. Nupt. Verba igitur legis nostrae: *liberta quae patrono nupta accurate sunt et cum cautione accipienda.* De sola liberta, patrono nupta, i. e. legitimo matrimonii vinculo iuncta, lex loquitur, atque huic diuortendi potestatem eripit. Quae igitur nondum dominum deduxit, nondum legitima vxor, sed adhuc sponsa est, recte repudium mittere potest. Ad nuptias autem contrahendas patronum libertam inuitam cogere non posse, quod in iis imprimis spectetur confessus, sapienter et humaniter pronunciat Marcianus, L. X. Instit. in l. 28. D. de Rit. Nupt. Neque matrimonium inter patronatus iura referendum est, neque patrono maior esse potest potestas in libertam, quam patri in filium, quem ad vxorem ducendam cogi posse negat Terentius Clemens in l. 21. eod. Sed ad solam nuptiam libertam, vt etiam Vlpianus in l. 45. §. 5. eod. habet, lex nostra pertinet, non ad sponsam, nisi forte eo consilio, ea que conditione manumissa, vt cum patrono matrimonium ineat. Hanc enim exceptionem disertis verbis tradunt Vlpianus L. 29. et Licinius Rufus L. 51. eod. quapropter liberta, matrimonii causa manumissa, ne sponsa quidem patrono repudium mittere potest. Sed quid de concubina dicendum? quid statuendum de ea, quae non nisi animi destinatione ab legitima vxore differre dicitur? Utrum huic concessum, initio patrono nuncium mittere? Si licuit, in hac re melior eius quam legitimae vxoris conditio et plus habere videtur libertatis, quae tantum modo quasi vxor appellatur, quam quae re vera vxor est, et cuius illa modo imitatur, non consequitur conditionem, et plus commoditatis matrimonii umbra, quam ipsum matrimonium. Atque ita est. Illud enim certissimum esse arbitror, hanc legis nostrae dispositionem ad concubinam plane non pertinere, neque, cum de sola nuptia liberta decernat, ad eam, quae nupta non est, esse trahendam. Sed quoniam maxima similitudo inter legitimam vxorem et concubinam intercederet, quidam reperiebantur ICti, qui etiam contra concubinam ex hac lege patrono concederent contradictionem, suaque interpretatione atque disputacione id, quod in ipsa legi non contineretur, efficere studerent. Augusti scilicet aetate plane hone-

honestior concubinae vocabulo subiecta erat significatio, quam liberae reipublicae temporibus, vbi talem indicabat foemina, quae cum viro, vxorem habente, corpus misceret, quam priscis *pellicem*, vt in lege Numae, vocata, Granius Flaccus in libro de iure Papiriano scribit l. 144. ss. de V. S. Recentiorum deinde temporum mores omnem contumeliam huic vocabulo detrahere, adeo, vt concubinatus, postquam per leges nomen assumeretur, l. 3. §. 1. D. de concub. nihil amplius esset, quam inaequale matrimonium, quemadmodum ipse imperator Iustinianus eum bis in Nou. XIII, 5. et LXXXIX, 12. appellat, concubina autem vxor gratuita, h. e. sine nuptiis, sine coenatione aut in manumconventione. Sic enim Phoëtius in Nomocanone tit. XIII. concubinae vocabulum explicat: παλλαχη εσινη νομιμως των σοζωσα, χωρις γαμου. Cf. Wachtler Opuseula a Trotio edit. p. 559. et van de Waater Obs. c. 3. Dabatur etiam contra eam, si in patroni fuerat concubinatu, in quo matronae, neque nomen, neque honorem deponebat, adulterii actio. L. 13. D. ad L. Iul. de adult. Propter hasce similitudines factum est, vt non inanis oriretur quaestio, num id licet concubinae, quod vxori per leges esset denegatum? Ita enim videbatur. Sed egregie hanc item composuit Vlpianus in l. 1. ff. de concubin. Quae in concubinatu est, inquit, ab inuitu patrone poterit discedere, et alteri se in matrimonium et concubinatum dare? Ego quidem probo in concubina, adimendum ei connubium, se patronum inuitum deserat, quippe cum honestius sit patrono, libertam concubinam quam matremfamilias habere. Continet nempe huius legis pars prior ipsum propositam quaestionem. Neque opus est cum Heinecio pro: ab inuitu legere: an inuitu, nihil enim temere in legibus mutandum. Sanus constat sensus, modo haec verba ita accipiuntur, vt interrogationem contineant. Ipsa autem quaestio duas habet partes, quarum prima est, an possit concubina inuitum relinquere patronum; et affirmat hoc Vlpianus, quamvis aliis alteri visum: quoniam in concubina, non legitimo matrimonii vinculo patrono iuncta, haec iniuria non tam gravis quam in uxore videretur. Altera est, si ab inuitu patrone discesserit, utrum alteri se in matrimonium, an tantum in concubinatum dare possit? Et respondit Vlpianus, connubii ius ipsi concedendum non esse, ne iniuriae fructum capere, atque perfidia meliorem sibi parare.

conditionem possit ea, quam apud patronum habuerat. Honestius enim esse, ait, patrono libertam concubinam quam matrem familias habere, forte haberi, h. e. pro concubina haberi, quamquam, fateor, non satis latine; verum non adeo elegantioris latinitatis curiosum fuisse Vlpianum constat. Honestius patrono; videri propterea dicit, quod patronus neque tam acerbam iniuriam sentire, neque ipsi debita reuerentia tam grauiter violari videatur, cum sciat, ingratam istam libertam, neque conditionem suam meliorem atque honestiorem reddere, neque ad coniugalem dignitatem adspicere posse. Licet igitur libertae concubinae etiam ab inuitio patrono discedere, sed ipsi cum alio nullum connubii ius est, sed iterum se in concubinatum dare debet, quod sine matronalis honoris periculo facere non potest. Quamdiu igitur in concubinatu est liberta, maiorem ipsi quam legitimae vxori libertatem et per leges et per sapientem Iureconsultorum auctoritatem concessam esse, apparet. Redeamus ad ipsam legem. Non contra quamcunque, sed eam tantum libertam, quae ab inuitio patrono abire parat, lex arma ministrat. In fauorem enim patrioni hocce nouum ius introductum, cui, si libet renunciare potest. Quapropter si vel iuri suo renunciarerit, vel eo auctore eiusque bona gratia diuortium factum erit, vel iure suo yti noluerit, pro inuitio accipiendo non erit. Ad propellendam iniuriam leges patrono, iura sua persequendi potestatem concesserunt. Sed cum volenti per rerum naturam nulla fiat iniuria, neque is iniuriam sentire videatur, qui, quam depellere potuisset, sua culpa sentiat, facile intelligitur, qualis patronus ex legis fauore utilitatem percipiat, nempe inuitus, i. e. ipso Vlpiano in l. 45. §. 5. D. de Rit. Nupt. interprete, qui in diuortium non consentit, a quo etiam eum; qui consentire non potuit, nihil differre arbitror, in quem numerum refereo furiosum et ignorantem, arg. l. 4. D. de diuort. l. 2. D. de concub. Hic enim rectius inuitus dicitur, quam qui dissentit, quoniam non tam id spectatur, utrum quis contradixerit, sed potius an eius consensus atque auctoritas interuenerit: ad ius enim, non ad factum pertinet. L. 5. D. de feru. praed. vrb. Dissentire autem videatur in omni re, quae voluntati obstat. L. 12. D. de spons. Addit denique lex, hac prohibitione libertam teneri, *quamdiu si eam uxorem esse volet.* Duplicem in hisce legis verbis rationem confi-

considerandam esse Vlpianus in l. 11. D. de diuort. monet: nempe ante omnia videndum, an quis adhuc patronus sit, deinde vero etiam, an eam amplius vxorem esse velit: quoniam si alterutrum desideretur, si vel patronus esse, vel libertam in matrimonio habere velle deserit, legis auctoritas finita sit. Sed plane alieno loco haec ab Vlpiano disputata esse, quis non intelligat? De patrono in lege nostra fermo est, non de eo, qui patronus esse desit; deinde vero haec scribere debuisset in eo loco, ubi patroni vocabulum, quomodo in lege accipendum, explicabat, non in hoc loco, ubi de patroni voluntate disputat. Nos autem, qui Vlpiani vestigia sequi constituimus, in hanc reprehensionem non incidere existimamus, si eius exemplo duicti quaedam de patrono, cui prohibitus ex lege ius non est, huic loco subiiciimus. Talis scilicet is est, qui patronus esse desit, quod duplicitate euenire potest, nempe vel ratione patroni vel libertae, si in ea conditione amplius esse desit, ut patronum habere intelligi possit: in vtroque casu cessat legis dispositio, quae soli patrono succurrat, et ad eam, quae amplius liberta non est, non debet trahi. Cessant autem patronatus iura, si vel ipse patronus iis renunciaverit, tanquam fauori pro se introducto, vel si leges ipsi tanquam indigno ea eripuerint, quod multis de causis fieri potest, v. c. si libertam iure iurando adegerit, ne nuberet. l. 6. D. de iur. patron. In hunc locum etiam incidit illustris Iureconsultorum veterum quaestio de patrono ab hostibus capto, num huic liceat intercedere libertae diuortium facienti. Existimat enim Julianus, libertae connubium non esse, sed durare matrimonium etiam in captiuitate, neque defunct rationes, quibus haec sententia defendi potest, quanquam eam, quam ipse Julianus protulit, nempe patroni reuerentiam, non probem. In ea enim conditione est patronus captus, ut contradicere non possit. Eadem adegit ratio, quae in Senatore, is quamdui senatoriam retinet dignitatem, libertae diuortium impedire non potest, neque debitae ipsi reuerentiae ratio habetur. Sed melior causa in promptu est. Et iam ingenuae vxoris matrimonium in captiuitate durare leges volunt, quamdui constat, maritum vivere, scilicet propter spem postliminii, quidni libertae? Sed Vlpianus in l. 45. §. 6. D. de Rit. Nupt. contrariae sententiae suam addidit auctoritatem, voluitque libertam matrimonio renunciante ab patrono,

apud hostes capto, impediri non posse, ita tamen protulit suam sententiam, ut statim appareat, extra omnem dubitationem hanc rem positam non esse vereor, ne ista, inquit, conubium habeat, parum latine, namque, quae affirmare volebat, vt res ipsa docet, negando enunciat, cuius causa recte a Noodtio in Obseru. L. II. c. 6. reprehenditur, qui pro vereor, ne, vereor, ne non legere iubet; facilior emendatio esset, si pro ne ut poneremus, modo quaeram scripti libri auctoritas emendationem adiuaret, ne ipsam Vlpiani latitudinem corrigerem voluisse videamur. Criticorum enim prouincia non est ipsorum auctorum, sed tantum librariorum errores et peruersam scribendi rationem notare atque emendare. Quapropter nihil mutare tutius arbitror, sed tantummodo dicere, Vlpianum indicare voluisse, sibi de hac re nondum constare, se tamen magis probare eorum sententiam, qui libertae, quandiu patronus apud hostes captus esset, diuortii faciendi potestatem concedant: hoc denique certissimum videri, omnique carere dubitatione, matrimonium solutum esse, si in aliam seruitutem, per sententias atrocitatem, patronus sit deducens, neque ultum amplius ius habere in libertam, qui ipse seruitus esset: quippe seruitus, ipso Vlpiano ad legem nostram in l. 209. D. de reg. iur. auctore fere morti equiparatur. Cum autem fere dicit, id mihi respicere videtur, non omnem seruitutem morti aequalem censandam, non hostilem, sed eam praecipue, quae in poenam irrogetur. Haec de patrono, cui lex nostra accommodari non potest; iam etiam de liberta videamus, in quam legis prohibitus non cadit. Quoniam legis verba accurate de libertinae conditionis foemina intelligenda sunt, ea liberta, quae a Caesarea maiestate aureorum annulorum ius impretravit, quippe quae non pro liberta, sed ingenua habetur, ab hac lege immunitatem habebit. Quanquam autem Augustus in hoc beneficio tribuendo non nimis fuerit liberalis, tamen ad illud quoque, recentioribus praesertim temporibus, foeminas adspirasse potuisse ex Vlpiano in l. 4. D. de iur. aur. annul. discere licet. Cum autem ius aureorum annulorum ab Caesarea liberalitate non nisi volente patrono, et ita concedi solet, vt iura patronatus falsa maneat, atque illaesa, etiam ex eo recte colligitur, hanc patroni diuortii impediendi potestatem non ex iure patronatus, sed ex lege descendere. Ali quanto adhuc melioris conditionis est ea liberta,

quae

quae natalium restitutionem consequuta est; in eam enim conditio-  
nem defertur, vt nunquam in iusta seruitute fuisse videatur, neque  
vllum patronatus ius in eam patronus exercere possit; quapropter  
haec natalium restitutio nunquam sine patroni interveniente con-  
fensu, quippe cui quaesita patronatus iura in iusto modo eripi  
possunt, tribuitur. Ea igitur liberta, quae ad ingentitatis hono-  
rem penetravit, nihil ex pristino libertinae conditionis statu reti-  
net, sed tanquam ingenua etiam in iusto patrono repudium denun-  
ciare potest. Denique ultimo loco Vlpiani ad hanc legem inter-  
pretatio in eo versatur, vt doceat, quomodo voluntas patroni,  
libertam amplius vxorem esse nolentis, ex legis sententia sit acci-  
pienda. Quemadmodum in rem aliquam consensu vel verbis vel  
factis declaratur, ita etiam voluntas patroni vel ex disertis verbis,  
si amplius eam sibi nuptiam esse nolle, declarauerit, vel si aliquid fe-  
cerit, ex quo colligi possit, eum non amplius maritalem erga vxo-  
rem habere amorem animumque, diuidicatur. Nihil enim inter-  
esse videtur, qua ratione de eius voluntate constet, et leuis etiam  
intellectus ad connubium libertae concedendum satis est, cui non  
alia de causa, cum alio connubium admittam est, quam quod sibi  
eam nuptiam esse patronus voluit: quapropter si vel aliqua conie-  
ctaura assequi potest, eum non amplius in ea voluntate esse, vt eam  
sibi matrimonii vinculo immetam velit, incipere libertas cum alio ius  
connubii esse dicendum est. Exempla Vlpianus habet: *si patronus*  
*sibi desponderit aliam, vel destinaverit, vel matrimonium alterius appa-*  
*terierit, vel concubinam sibi adhibuerit, credendus est, nolle hanc nu-*  
*pptiam.* Haec ad tenuorem pertinent conjecturam; certissime au-  
tem de patroni voluntate constare potest, si eiusmodi contra vxo-  
rem instituerit actionem, quae non nisi diuortio facto oriatur, qualis  
actio rerum amotarum, vel tali criminis eam postulauerit, quod nemo  
vxori obiciat, quale adulterii. In honorem enim matrimonii con-  
tra vxorem constante matrimonio turpis actio negatur, l. 2. D.  
de aet. rer. amot. quique tales constituit actionem, non amplius  
*in eo permanere velle intelligitur.*

*De poenis diuortiorum ex Lege Iulia et Papia Poppaea.*

Sequitur iam aliud caput legis Papiae Poppaeae, quod diuortiorum priuatas continent poenas. Laudo modestiam Gothofredi, qui tantummodo legem hoc loco aliquid de dotis restituzione et retentionibus disposuisse, indicare contentus, nihil verti definire ausus est: magis tamen probo Heineccii diligentiam, qui in Commentario ad huius legis caput XXXIV. ipsa legitima verba restituere conatus est. Fecit id in primis auxilio L. 64. D. solut. matrimonio. Ex eius sententia legis carmen hoc fuit: *Soluto citra culpam uxoris matrimonio, si mulier ob mores mariti diuortit, vir eam dotem, quae annua, bima, trima die reddi debet, ob maiores mores praesentem, propter minores senum mensum die redditio.* Quod ad dotem, quae praefens reddi solet, et dotale praedium Italicum, et quicquid ex uxoris vel libertorum eius bonis ad eum peruenit, nec non si dolo malo factum sit, quo minus perueniret: quanta pecuniam erit, tantam pecuniam ipse eiusus heres dato, et vir simul fructum quadriennii praeflat. Si mulieris culpa discidium factum, morum nomine maritus, grauiorū quidem sextam, leviorū octauam dotis partem retinet. Nolo huius restitutiois singula verba, quamquam se omnino recte habere, non omnis absit dubitatio, solicitat, qui non ignorat, facilius esse reprehendere, utilius meliora docere, sed relictis verborum nigris, ipsius potius legis sensum et cauas pro instituto breuiter explicabo. Matrimonio quoconque modo sive morte sive diuortio soluto, semper dos etiam ante hanc legem erat restituenda. Proditum erat vxori ad dotem repetendam arbitrium rei uxoriae et actio ex stipulatu, si stipulatio dotem reddi interuererat: marito autem quaedam retentions et compensationes ad dotem minuendam competebant. Restituebatur autem dos, eodem modo, quo soluta: non vniuersa vna pensione, sed plerumque tribus, hinc annua, bima, trima dies, dies autem temporis spatium. Pertinet hoc ad eam dotem, quae pondere, numero et mensura constat: reliqua dos in rebus non fungibilibus constituta, et fundus praedii Itali ci statim restituebatur. Haec igitur dotis restitutio, iam olim recepta, nihil in se

se poenae continet, sed grauiores istae conditiones adiectae, quibus Augustus harum restitucionum incommoda auxit, poenalem sanctionem constituant. Ipsa poena pro diueritate auctoris, quem tenere debet, diuersa est. Volut enim Augustus, vel sine causa discedentem, vel malis moribus diuortio causam dantem, discidii poenas sentire. Quapropter diligenter, cuius culpa diuortium factum, considerandum est; nam alia ratio in marito, alia in vxore obseruatur. Si ob mores mariti grauiores matrimonium solutum, dos, quae tribus pensionibus restitui solet, praesens est restituenda, quae autem praesens, vt praedium Italicum, simul cum quatuor annorum fructibus, quod, vt Vlpianus ait, representatio facit, repraefentare autem dicitur is, qui ante diem soluit, atque iterum facit praefentem, quae re vera nondum praesens est: hanc tamen repraefentationem, quod poenalis est, solus vir, non eius haeres praefstat: sin ob mores leuiores, senum mensum die. Ad mores quidem grauiores, auctore Vlpiano in Frag. tit. VI. solum adulterium, ad leuiores, reliqui omnes, quos vxor in marito ferre non potest, pertinent. Reprehendenda est Constantini M. lenitas, qui mariti adulteria ex suorum temporum ingenio inter iustas diuortiorum causas referre dubitauit; laudanda contra Augufti severitas, qui parem a viris atque foeminis postulauit castitatem atque continentiam. Inest igitur mariti poena in promptiori dotis restituzione, iactura vfurarum, quas ex dote percipere potuisset, si eam legitimo tempore restituisset et praefestatione fructuum quadriennii ex fundo praedii Italici. Male hoc loco habet Schultingium *quadriennii* vocabulum, atque vt lex eundem in restituenda dote in re fungibili atque non fungibili constituta modum seruet, *triennii* legendum esse monet. Evidem nihil temere mutandum esse censeo: et iam Heinocqius receptam lectionem defendit, sed eius ratio, qua id fecit, mihi non probatur. Ait ampliores fuisse eo tempore apud Romanos et certiores vfurars ex numerata pecunia, quam fructus ex fundo, quapropter ad tantundem praefandum ex fructibus longiori temporis spatio opus, quam ex vfuris. Sed ita bonam causam male defendisse videtur. Nam primo quidem neque eandem in utroque casu rationem adesse apparet, neque idem consilium in definienda poena Augustus sequutus est.

H

Qui

Qui numeratam dotem praefentem soluit, speratis usuris defititur, qui fundum cum fructibus restituit, id, quod nondum percepit, praefstat: ille spem interceptam dolet, hic damnum sentit. Deinde quare maritus in restituenda re, quae non multum ipsi utilitatis attulit, idem praestare debeat, ac in re, quae vererrime ipsi profuit, non video. Attamen si hoc ita statuere placeat, tamen hac ratione nunquam efficietur. Verum haec tota res non ex aequitatis regulis, sed legis verbis dijudicanda est. Si enim aequitatis vox audienda esset, maritus profecto in dote numerata, quod laetior eius conditio, perceptas usuras simul, in fundo autem, quod inferior, nihil ex fructibus restituere deberet. Sed vniuersa huius dispositionis ratio mihi quidem in singulari fauore, quo Augustus fundos Italicos prosequutus est, cuius egregium exemplum ipsa lex de fundo dotali praebet, quaerenda esse videtur. Praeter dotem autem etiam quocunque ex bonis vxoris eiusque libertorum ad eum peruenit, vel quod, quominus perueniret, eius dolo malo factum est, maritus restituere tenetur. Si ob mulieris peruersos mores diuortium factum, tunc propter grauiores factae, propter leuiiores octauae partis dotis retentionem locum habere iussit Augustus. Ipsae dotis retentiones antiquissimae sunt, et cum ipsis diuortiis natae. Primis quidem temporibus, soluto ob mores mulieris matrimonio, vniuersa dos, ex lege Romuli, quam supra explicauimus, marito in lucrum cedebat: id etiam liberae reipublicae temporibus obtainuisse videtur, siquidem accurate velimus accipere locos auctorum, qui id affirmant, v. c. Plutarch. in Vita Marii p. 427. Valer. Maxim. L. VIII. c. 2. Plinius in Hist. Nat. L. XIV. c. 13. Deinde autem certam tantummodo dotis partem retiniri placuit, quoniam reipublicae interesse videbatur, non dote tota mulieres spoliari, ut rursus nubendi liberalem conditionem inuenire possent. Obtinuit hoc iam ante Augusti tempora: retentionis enim ob mores et liberos iam apud Ciceronem fit mentio. Sed quis definitae et certae dotis partis, quae in retentione esset, fuerit auctor, id non constat. Num ex Iureconsultorum sapientia venit? Non videatur. Recte enim monet Schultingius ad hocce Vlpiani fragmentum, egredi hoc Iureconsultorum prouinciam, quorum non est leges

leges scribere, sed scriptas interpretari, et ad causas responde-  
do accommodare. Igitur ex lege aliqua esse debet. Ita est,  
Ait enim diserte Theodosius Iunior in Nou. XVII. ex veteri lege  
descendere, nostra autem certe Papia antiquiori. Lex igitur Pa-  
pia hoc loco antiquum et iam receptum ius tantummodo confir-  
mavit. Iam recentiores leges, quae Papiam sequitae sunt,  
quae in vniuersum de dotis retentione et amissione loquuntur,  
quomodo sint intelligendae, monere opus non est. Egregius et  
fere unicus de retentionibus locus est apud Vlpianum in Fragn.  
Tit. VI. §. 9. Affirmat quidem Vetus interpres ad L. 2. Cod.  
Theodof. de dotib. Paulum in tit. de dotibus aliquid de reten-  
tionibus habere, sed cum in iis, quae ad nos peruererunt, frag-  
mentis frustra quaeratur, id, quale fuerit, quod temporis iniuria  
nobis eruptum est, iudicari non potest. Quinque ob causas in-  
dote retentiones locum habuisse, Vlpianus scribit, nempe ab mo-  
res, ob liberos, ob impensis, ob res donatas, et ob res amotas.  
Mores quidem, qui etiam criminibus opponuntur, vel grauiores  
sunt, vt adulteria, vel leuiores, ob illos sexta, ob hos octaua do-  
tis pars retinetur. Facto diuortio maritus si morum nomine ali-  
quid retinere volebat, instituto morum iudicio vxoris mores accusa-  
re solebat: vxor contra ad effugientiam hanc poenam diuortii cul-  
pam a se declinare, atque in maritum deuoluere studebat. Si  
enim apparebat, vtrumque malis moribus diuortio causam dedisse,  
vel maritum vxori peruersorum morum auctorem extitisse, tunc  
nulla ab mores retentio, sed morum compensatio, quae tamen  
ad auertendam publicam coercionem nihil proderat, locum habe-  
bat. Inhumanum enim videbatur, maritum, ex accusatione mo-  
rum vxoris, quos antea ipse, v. c. lenocinando, probauerat, lucrum  
capere posse. L. 39. et 47. D. soluto matrim. Quanquam autem  
hocce totum morum iudicium per Iustiniani constitutionem in l. 5. C.  
de repud. et iudicio de moribus sublato, sit sublatum, tamen eius va-  
ria adhuc vestigia in Digestorum libris restare sicut Tribonianus.  
Dixi nuper ea de re copiosius in oratione in memoriam Boniam  
habita. Retentio ob liberos vt habeat locum, necesse est, vt nu-  
ptiae sint celebratae cum persona, cum qua coniubii ius, ex qui-  
bus liberi procreati patris conditionem sequi possint, et vt vxor di-

uortio causam moribus dederit. Discitur id ex Cicerone Top. c. 4. qui, in diiudicanda quaestione, num ob liberos aliquid apud maritum manere debeat, non quis nuncium miserit, sed quis diuortio causam dederit, considerandum esse, diligenter monet. Ob liberos autem, in singulos sextam, in plures non plures quam tres sextas, hoc est, dimidiam dotem retineri posse, reliquas partes non in retentione, sed in petitione esse, Vlpianus tradit. Ob res donatas atque amotas et impensis maritus non solum retentionem habet, sed impensae etiam ipso iure dotem minuant, qua de causa et cum Iustinianus omnibus retentionum generibus per §. 37. Inst. de action, sublati, eam, quae ob impensis instituitur, tollere ausus non est. Harum retentionum, quas Tribonianus in compensatum vocabulum transformare saepius placuit, commodum aequum ac incommodum in haeredes transit. Sola tamen retentio ob mores ad haeredes non pertinet: haec enim nec ultra personam extendi, nec contra haeredem concedi potest; continet scilicet doloris persequitionem, quam soli marito leges concessere, vindictae speciem habet, et similis est actioni iniuriarum. L. 1. §. 1. D. de iniur. Mariti autem haeres morum mulieris coercionem non habet per l. 15. 39. et 47. D. solut. matrim. Reliquae retentiones haereditatis profundunt, non quod pignoris loco aliquid possit retinere, sed quod ipso iure dotem minuant. L. 5. D. de dot. praeleg. Factum est peruersisistorum temporum moribus, vt coniuges in ipsis nuptiis atque matrimonii limine, de eius dissolutione cogitarent, atque in eum eventum suam sibi conditionem meliorem parare, legum autem severitatem effugere studebant: eoque consilio pacta quedam interponerent, quibus scripti iuris rigorem atque auctoritatem illuderent, genioque suo indulgerent. Eiusmodi pactum hoc est: ne de moribus agatur, ne villa retentio locum habeat, vt alia, quam legibus definita ratio in dotis restituzione obseruetur: sed talia pacta omnia tanquam legibus aequum ac bonis moribus contraria, inualida pronuncianda esse, apparet ex l. 7. §. 26. D. de pact. l. 27. D. de reg. iur. Existimauit quidem magnus Cuiacius, retentioni ob liberos valide renunciari posse, quoniam in mariti fauorem introducta sit, nemo autem suo fauori renunciare prohibebatur. Quanquam non ea mea sit arrogantia, vt contra tantum virum disputatione

sputationem instituere sustineam, tamen id a me impetrare non possum, vt sapientissimi etiam viri auctoritas me magis, quam ipsius rei vera et perfecta ratio moueat. Haec ob liberos retentio locum habet in diuortio ob mores vxoris facto, et non solum in mariti fauorem, sed etiam poenam vxoris inuenta est: continet enim simul morum vxoris accusationem. Si autem non licet pacisci, ne de moribus agatur, quod hoc bonis moribus contrarium, prosectorum non magis licebit, retentioni ob liberos renunciare, quae non minus, quam ea ob mores, castigationem morum vxoris intendit. Quemadmodum autem pactum non valet, quod mariti conditionem inferiorem reddit, ita etiam quod lautiorem, inualidum dicendum esse, apparet. Non pacientium arbitrio permiserunt leges, constitutre, quanta pars dotis in retentione esse debeat, sed certain partem constituerunt: quapropter nec vniuersa dos retineri, nec amplior ob mores vel liberos, quam legitima retentio pacto dari potest. Debent enim priuati eo, quod publicis legibus fancitum est, esse contenti, nec priuatorum pactis iuri ciuitatis publico derogari fas est. L. 5. princ. l. 19. et 20. D. de V. O. In fauorem tamen dotis pactum valet, de dote propiori quam legitima die restituenda. Dies quidem annua, bima, trima in l. 24. §. 3. D. solut. matrim. *legitimum*, et in l. 17. D. de pactis dotal. *legibus statutum* tempus dicitur, valet tamen pactum de dote praefente restituenda soluto ob leues mores matrimonio, cuius dies sexto denum mense ex lege veniret, quoniam nihil bonis moribus contrarium continet. Contraria autem ratio de dote longiore quam legitima die reddenda, quae eius conditionem minuit, l. 15. sq. D. de pactis dotal. improbat. Extat quidem in alteram partem exemplum in l. 19. D. eod. quo pater quinto denum die dotem exsoluerat, sibi que totidem diebus soluto matrimonio restituendam stipulatus erat. Sed in eo loco alia plane adest ratio. Habet nempe maritus tunc contra patrem exceptionem ex pacto, ne prius conueniri possit, quae etiam contra vxorem valet, quippe quae tanquam patris haeres eius facta praestare tenetur.

H 3

§. 12.

non exordium omnis huius modi  
§. 12. est enim scriptum in memoriam  
eiusmodi iuris, et non enim in Epilogus.

Plura iam de diuortiorum historia scribere, me huius academici libelli fines, ne nimis eius moles crescat, prohibent. Quae de Iureconsultorum interpretatione, fori disputatione, iure honorario, diuortio in fraudem patris facto, de variis diuortiorum causis et poenis ex Constitutionibus recentiorum Imperatorum, Constantini Magni in primis, Honorii, Theodosii, Justiniani atque Leonis disputanda restant, in commodius tempus milhi seruo. Si sapientes viri nihil, a me festinanter, diligenter, atque inconsiderate scriptum esse judicent, si expectationi suae aliquo modo a me satisfactum affirment, vehementer mihi gratulabor. In eorum enim iudicio et praesentis scribendi laboris egregium praemium, et ad maiora suscipienda magnum incitamentum mihi propositum esse, arbitror.





Leipzig, Diss., 1764



3

f

TAZOL

nur 31. Stck. Bücher verknüpft

VD18



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red


Yellow

Farbkarte #13

Green

Cyan

Blue



802y.

1764,30.

HISTORIA IVRIS CIVILIS  
DE  
DIVORTIIS  
AVCTORITATE  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS  
PRO SVM MIS  
IN VTRQVE IVRE HONORIBVS  
OBTINENDIS  
AD DEFENDENDVM  
A. D. XX. SEPTEMBR. cIo Ic CCLXIV.

PROPOSITA

A

GEORGIO AVGUSTO MARCHE  
LIPSIENSE.

LIPSIAE

EX OFFICINA LOE PERIA.

